

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Hartwici Bambami[i], Ecclesiast. Petro-Paulini,  
Apparatus Enthymematico-Exegeticus**

Observationes In Novum Foedus, Exquisitiores Comprehendens

**Bambamius, Hartwig**

**Hamburgi, MDCCXXVII.**

**VD18 90548728**

Sectio III. Specialia ex IV. Evangelistis in primis ex Johanne, Enthymemata  
comprehendens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14064**

Sectio III.  
SPECIALIA ex IV. EVANGELISTIS,  
in primis ex JOHANNE;  
Enthymemata  
comprehendens.

I.

MATTHÆUS Scripturas Propheticas de circumstantiis notisque ac eventibus Messiae magis ad JESUM accommodat, quam quisquam alius.

Εὐθεσίς.

§ 1.

Hoc nempe Matthæus in universo suo scripto probandum suscipit, quod omnes conditiones & circumstantiæ, quas Prophetæ de Messia prædixerunt, in JESUM Nazarenum competant: ut doceat, non alium Messiam esse expectandum, nec in alio, præterquam in hoc JESU, veram & æternam salutem sperandam. Hoc enim à primo Scriptore Evangelii in primis fieri necesse fuit, ut id esset ceu fundamentum totius Christianæ religionis.

§ 2. Hinc & Matthæus præ reliquis Evangelistis ad consensum Prophetarum provocat.



vocat, hac usus formula: *Ut impleretur, quod dictum est.* Vid. cap. I. II. &c. & conf. *Hyper.* de Rat. Stud. Theol. p. 322.

## II.

Singulare *MATTHÆI* est, quod non ita crebro, ac reliqui Evangelistæ, *LXX.* Interpretes sequitur, sed oracula V. T. ex ipsis fontibus deponit.

Ἐκδεσις.

### §. I.

Est hæc observatio Hieronymi in Vita Matthæi, quod, ubicunque sive *ex persona sua*, sive *ex persona Domini Salvatoris veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur LXX. Interpret. autoritatem, sed Hebraicam.*

§ 2. Veritas dicti ex instituta collatione per se patet. Unde & formula Matthæi propria est: *Dictum, sive scriptum est per Prophetam;* nec aliis Evangelistis hæc formula adeo usitata est.

§ 3. Nimirum Matthæus ipse Judæus fuit, ideoque fontis Hebræi paulo tenacior fuisse videtur.

## III.

*Matthæo familiare est, historias ordiri hac formula: IN ILLO TEMPORE, IN DIES ILLIS.*

U

Prob.



Prob.

I.

Sic Matth. III. 1. historiam Johannis Baptista connectit cum descriptione infantiae Christi: *In diebus illis advenit Johannes &c.*

2. Sic cap. XI. 25. historiam Sodomæorum connectit ita cum seqq.: *In illo tempore respondens Jesus dixit &c.*

3. Similiter cap. XII. 1. *In illo tempore ibat Jesus per segetes &c.* i.e. postea, sive concione à Christo habita id accidebat.

Scilicet hac formula Prophetarum more non ordo temporis, sed qualiscunque rerum connexio indigitatur. Conf. B. Walther. in Harmon. Bibl. ad Matth. III. v. 1. & B. Joh. Meissner. Exercit. II<sup>da</sup> in Matthæum § 1.

IV.

*APERTIO ORIS Servatori in concionibus gravioribus à MATTHÆO emphatice tribuitur.*

Prob.

I.

Sic Matth. V. 2. Christus explicaturus veram sententiam Legis, dicitur *os suum aperuisse*, h. e. cum summa autoritate & admiratione docuisse. Unde & additur postea, quod turbæ obstupuerint super doctrina Eius. Docabat enim, velut habens autoritatem &c. c. VII, 28. 29.

2. Si-



2. Similiter, cum egregias de regno DEI parolas attulisset Dominus, addit Evangelista, impletum ita, quod dictum per Prophetam: *Aperium in parabolis os meum: eloquar abscondita ab initio mundi.* Matth. XIII. 35.

3. Sicut & Petrus, primam concionem Evangelii de Christo ad gentes incircumcisas habiturus, *aperit os suum*, i. e. magna autoritate, & cum summa auditorum attentione, ac prius inter gentes nunquam audita, concionatur. Act. X. 34.

4. Alias quoque *os aperire*, in Scriptura sacra significat, libere & cum fiducia, quod res est, eloqui. Sic Ez. XXI. 29. 2 Cor. VI. 11. Eph. VI. 19. Actor. VIII. 35. &c. conf. B. Casp. Finck. Cent. III. Can. LXXIV. LXXV. & supra, p. 59. & 113.

V.

MATTHÆUS cum Marco & Luca majori studio de Bonis Operibus agit, quam  
JOHANNES.

Ita B. Lutherus observat ad Matth. V. 16. Ut videant bona opera vestra &c. Ist auf S. Matthæus Weise geredet / ait, welcher also von Wercken pfleget zu reden. Denn er samt den andern 2. Evangelisten / Marco und Luca treibet sein Evangelium nicht so hoch und viel auf den hohen Artickel von Christo / als S. Johannes und Paulus. Darum reden und vermahnen sie viel von guten Wercken / wie es denu seyn soll in der Christenheit / daß man



beydes treibe/ doch ein igliches in seinem Wesen und  
Würden gehet. Dass man zuerst und am höchsten  
den Glauben an Christum führe: darnach auch die  
Wercke treibe. Weil nun der Evangelist Johannes  
durch und durch den Haupt-Artikel aufs gewaltigst  
getrieben hat / und billig daher der höchste  
und fürnehmste Evangelist geachtet ist: So haben  
S. Matthæus, Marcus und Lucas auch das andere  
Stück für sich genommen und stark getrieben / das  
es auch nicht vergessen würde: Also dass sie in dem  
Stück besser sind / denn Johannes, und er wieder  
umb in jenem. To. V. Altenb. f. 835. a.

## VI.

*Quod MATTHÆUS dicit εχηματισμένως,  
LUCAS plane reddere solet.*

### § 1.

*Al. Mori* hæc observatio est in Notis ad Esa.  
LIII. pag. 128. ubi hoc variis aliquando se  
probaturum exemplis promittit.

§ 2. Idem in Notis ad quædam loca Novi  
Fœderis: Hæc illa est abomination desolationis (a  
pud Matthæum) quam σεραπιεδον Lucas in-  
terpretatur, plane dicere solitus, quod Mat-  
thæus εχηματισμένως. p. 52. ex Edit. D. Fabricii.

## VII.

*Unus Evangelista MARCUS Evangelium summum  
cum Malachiæ, ultimi Prophetæ, clausula  
connectit.*

Prob.



## Prob.

## I.

**Q**uia in vaticinio de Johanne Baptista Malachias desinit, c. III. i. cap. IV. 5. 6. Et ab hoc iterum Exordium Evangelii sui facit Marcus, c. I. i. 2.

2. Quia Prophetæ durant usque ad *Johannem*, Matth. XI. 13. Itaque non immerito à præconio Johannis initium dicitur.

3. Quia suum singuli Evangelistæ Exordium habent; ut *Matthæus* à Genealogia Christi incipit &c.

Conducit vero hæc observatio ad illustrandam V. & N.T. Harmoniam.

## VIII.

*MARCUS* Evangelium suum tardius incipit,  
at longius persequitur.

## Prob.

## I.

**Q**uia omissa historia de nativitate Johannis & Christi, ab utriusque officio exorditur, & ad illud tempus narrando pergit, quo, Christo in cœlum electo, Apostoli Evangelium prædicarunt per totum terrarum orbem.

2. Quia & *Petrus*, cuius assiduus comes erat *Marcus*, eodem modo historiam Christi disponit, inquiens, exordiendum esse à Ba-

U 3 ptismo



ptismo Johannis, usque ad diem assumptionis Christi, Act. I. 22.

Uſus Isagogicus eſt, ad Evangelium S. Marcū accuratius legendum.

## IX.

*MARCUS non tam Epitomator Matthæi, quam  
überior ejusdem illustrator, dicendus eſt.*

### Prob.

#### I.

**Q**uiā *Matthæus* multa recenset, quorum *Marcus* ne verbo quidem meminit, quæ tamen, ceu Epitomator, reticere neutiquam debuisset, ut *Matth. I.* de Genealogia Christi, conf. c. II. III. &c.

2. Quia vicissim *Marcus* quædam adducit, quorum *Matthæus* nullam plane mentionem injicit, ut c. V. 31. item de accessu propinquorum, cap. III. 22. de furdo, cap. VII. & ita porro.

3. Quia *Marcus* quædam prolixius & secundum circumstantias præ *Matthæo* recenset, quod non factum fuisset ab Epitomatore. Sic de Baptismo Johannis, de tentatione Christi, de Cananæa &c. Dixerim, historias fusius à *Marco*, quam *Matthæo*, adductas.

4. Quia *Marcus* in recensione priorum annorum Ministerii Christi presius cum *Luca*, quam cum *Matthæo*, progreditur. Vid. B. Sandhagen. Theol. Send-Schreiben P. I. Ep. I. & ex eo Du. Lamberg. Harm. Ev. Proleg. p. 27.

X

X.

*LUCAS* in enarratione Historiae suæ cæteris  
Evangelistis multo copiosior est.

Prob.

I.

Sic historiam de Christi, Ejusque Præcurso-  
ris annunciatione, conceptione, nativi-  
tate, circumcidione & infantia, ab aliis omis-  
sam, diligenter supplevit.

2. Sic resuscitationem filii Nainitici, cap.  
VII. II. conversionem mulieris peccatricis,  
ibid. itemque Zachæi, c. XIX. familiarita-  
tem Christi cum publicanis & peccatoribus,  
c. XV. historiam de divite helluone & La-  
zaro, c. XVI. & complura hujusmodi, solus  
hic Evangelista memorie prodiit.

3. Quia hunc scopum sibi præfixerat, ut  
omnia scriberet & pervestigaret accurate,  
cap. I. 3.

XI.

*LUCAS* puriorem Græcismum p̄cæteris  
Evangelistis diligenter obseruat.

Prob.

I.

Sic accuratus est in Articulis confignandis,  
uti vel inscriptio docet, τὸ κατὰ Λέγαν  
Εὐαγγέλιον, ceu testantur editiones accura-  
tiores, in primis Stephanæ; itemque illud: In-  
venerunt infantem positum εν τῇ Φάτνῃ, scil. in  
præsepi, ab Angelis indigitato, c. II. i 2, 16.

U 4

2. Sic



2. Sic Græce dicit ἀληθῶς, quod solent alii Evangelistæ dicere Αμήν, Hebræa voce, ut: c. IX. 27. c. XII. 44. c. XXI. 3.

3. Sic familiare huic Evangelistæ est, Participia Attica adhibere, quæ cum verbo auxiliari εἰμί, τυγχάνω, ὑπάρχω, conjunguntur, ut: cap. I. 20. εση σιωπῶν, obmutescens. conf. v. 21. 22. cap. II. 8. 33. 36. 37. 51. cap. IV. 30. 31. 38. 44. &c.

4. Sic Atticum est, particulas ἀπό, εἰς, εἰκαστι, & similes aliquando abundare; idem autem observes in Luca, c. I. 38. c. II. 15. c. IV. 22. 29. Sic Atticum est, conjunctionem causalem ἐπί post verbum λέγω ponere per elegantiam: idem usitatum est Lucæ, c. XII. 37. c. XX. 54. c. XXIV. 7. Sic Atticum est, verba sensuum non cum Genitivo per dialectum communem, sed cum Accusativo construere; idem familiare est Lucæ, c. XI. 31. c. XIV. 1. cap. XV. 12. c. XIX. 22.

Itaque cum *Lucas*, Pauli comes, ad Gentiles convertendos suum Evangelium conscripsit; placuit Spiritui S. per cultum sermonis, quo delectabantur illi, divinam sapientiam inculcare.

## XII.

*Interim negari nequit, voces phrasesque, Latinum redolentes, apud Lucam occurrere.*

Ἐπεσις.

### § I.

**D**e vocibus Latinis, vid. B. Glass. Gramm. S. p. m.



p. m. 238. & conf. B. Dannb. Hermen. S. p. 179.  
De phrasibus occasione data monet *Is. Casaub.*  
in Notis ad N. T. Oratio λατινίζει, ut: Luc. XII.  
58. *da operam*, purus putus Latinismus est. Sic  
c. XIV. 18. 19. *Habe me excusatum.* it. Act. XV.  
33. ποιήσαντες χρόνον, ubi ποιῶν pro διαλογίζειν.  
conf. & B. Dannb. l. c. p. 180.

§ 2. Absit vero, ut Lucæ stylus ideo Barbarismi incusetur. Hoc enim in omnibus Lingois observare licet, quod eadem propter Imperiorum mutationem maxime mutatae fuerint. conf. supra p. 53. 54.

### XIII.

Kai ἐγένετο, ET FACTUM EST, in memoria  
bilibus Historiis formula est, Lucæ præ reliquis Evangelistis familiaris.

Ἐκ Θεοῦ.

#### § I.

Loca ut adducantur, vix opus censeo, cum in omnibus fere capitibus sponte occur-  
rant, e. g. c. VII. 11. VIII. 1. 22. 40. IX. 18. 29.  
37. 51. 57. X. v. 38. XIV. 1. XVI. 22. XVII.  
v. 1. &c.

§ 2. Nimirum indicare hac formula vult  
Scriptor sacer, nihil ex improviso, aut casu  
fortuito; sed omnia ex directione divina e-  
venire.

§ 3. Observes vero insimul, formulam  
hanc, Lucæ usitatam, *Et factum est;* sicut istam

U 5

Mat-



Matthæi: *In diebus illis, & Johannis: μετὰ ταῦτα,*  
*Joh. VI. 1. c. VII. 1.* non esse certain vel ne-  
 cessariam notationem ordinis, seu conse-  
 quentiæ, quasi nulla ex aliis Evangelistis hi-  
 storia inferenda sit; sed generalem tantum  
 narrationis connexionem. Sicut vicissim  
 apud *Marcum* particula πάλιν continuat ordi-  
 nem historiarum. B. Chemnit, Proleg. Harm.  
*Evang. c. V.*

## XIV.

*SPIRITU SANCTO IMPLERI*, phrasis est,  
*LUCÆ in primis in Evangelio & Actis fami-*  
*liaris, notatque singularem Spiritus S.*  
*agitationem atque impulsu.*

## Prob.

## I.

**S**ic de *Johanne Baptista* annuntiat Angelus: *Sp*  
*iritu sancto implebitur jam ab utero matris sua,*  
*Luc. I. 15.* Ad quem locum B. Dorschen:  
 « Nos referimus ad inhabitantem Spiritum  
 sanctum, ex quo agnovit Messiam, in utero  
 adhuc existens. In unoquoque fidelium est  
 Spiritus S. sed non quivis plenus Eo est. Nam  
 quando vocab. πληρώσεως ponitur, aliquid  
 ulterius notatur, quam ordinaria illa inha-  
 bitatio Spiritus sancti, & si accurate loquen-  
 dum, Spiritus sancti πλήρωσις semper notat  
 dona ministrantia, ἐνοίκησις autem sanctifi-  
 cantia. Johannes habet Spiritum S. se ad  
 dona ministrantia effundentem, nec tamen  
 statim



statim, sed tempore suo se exserebat. "Comment. in IV. Evangel. pag. 593. Conf. de Zacharia, Johannis patre, Luc. I. 67.

2. Sic JESUS dicitur plenus Spiritu sancto, Luc. IV. 1.

3. Sic Apostoli in die Pentecostes Spiritu sancto repleti sunt, Act. II. 4. Confer de Stephano, Act. VI. 5. VII. 55. de Barnaba, c. XI. 24.

*Repletio Spiritus*, B. Chemnitii verba sunt, significat illustria, eximia, singularia & extraordinaria Spiritus dona, seu donorum abundantiam, Harmon. Ev. cap. II. Confer de superveniendi voce, P.I. Appar. mei, p. 343.

Quemadmodum & Spiritus S. dicitur ἐπιπλεόν, Act. VIII. 16. X. 44. quod non sumitur pro ordinaria Spiritus S. distributione; sed de donis extraordinariis. Interdum dicitur παταράβαίνειν Spir. S. Matth. III. 16. interdum μένειν, Joh. I. 33. item, esse super aliquem, Luc. II. 25. IV. 18. notatque peculiarem Spir. S. præsentiam, & extraordinariam Ejus dispensationem. Coincidit cum phrasi, qua Manus Domini dicitur esse super aliquem, qua de P.I. Appar. p. 896.

## XV.

Volupte LUCÆ est, cohærentiam rerum facere, & titulos, ut sic dicam, Locorum Communium constituisse, sub quos diversos Christi sermones conferat, diversis etiam temporum articulis dictos.

Ex Theor.



Ex Theolog.

## § 1.

**S**ic exempli loco adducit B. Seb. Schmid. Luc. XVII. 1. -- 10. qui videatur in Fasciculo Dispp. p. 1042. seq.

§ 2. Sic argumentum universale omnis orationis Christi à Luc. XIV. 25. ac porro c. XV. 1. usque ad cap. XVII. hoc est: Neminem esse à regno Christi arcendum, qui vere intrare cupiat, sed docendum, quomodo intrare debeat. Scilicet argumentum hoc universale distinctis Christi sermonibus constat, & numerantur partes quinque: ac quoties hic objecta personalia alternant, toties Evangelista interserit vocem επει, vel ελεγει. Vid. B. Grünbergii Disp. I. de Discipulis Christi, ex Mammona injustitiae sibi susceptorū in æterna tabernacula conciliare jussis.

## Deliciae JOHANNEÆ.

## I.

*JOHANNES, reliquos Evangelistas & Apostolos  
estate supergressus, Canonem N. T. &  
disposuit, & obsignavit.*

Prob.

## I.

**Q**uia juxta Chronicon Alexandrinum A. C. 104. demum mortuus est, adeo que



que centenario major, reliquorum Scriptorum θεοπνεύσων, instar Esræ alicujus, Criticum & Aristarchum egit. Conf. Cave Histor. Lit. fol. 10. Tam longævam vitam, scribit B. Chemnit. Harmon. Evang. cap. L. Filius DEI Johanni concessit, ut monstraret Ecclesiæ ad omnem posteritatem, quæ essent vere γνήσια Apostolorum scripta, & ab illis Apostolica notatione sejungeret apocrypha & supposititia. Vid. Idem fusius in Exam. Concil. Trident. P. I. fol. m. 20. 21.

2. Quia Johannes insignem illum Aphorismum: *Hæc scripta sunt, ut credatis &c.* cap. XX. 31. non suo tantum Evangelio adjecit, sed universæ Scripturæ, cum primis Evangelicæ. conf. i Joh. V. 13. 20.

3. Quia idem fecit in *Apocalypsi*, c. XXII. 19. ubi toti corpori Biblico colophonem, fulminea comminatione obsignatum, imposuit D. Johannes, verba B. Dannhaueri sunt in Dram. S. p. 153. Conf. B. Dorsch. in Pentadec. p. 332. & B. D. Neumann, in Disp. de Canone S. Scripturæ obsignato, § 30.

Usus est Elencticus adversus Fanaticos, qui seculum Spiritus sancti, & in eo novum Evangelium, ejusque præconium expectant.

## II.

Johannes ordinis rerum ac sermonum prærebusquis Evangelistis studiosus est.

Ex 9816.



Endeis.

§ 1.

Nimirum Johannes ordinem ita accurate, & plerumque per introductam Festorum observationem tenet, ut novae materiae nihil adferat ex abrupto, sed aut temporis, aut locutionem & occasionem præmonstret. Vid. B. Sandhagen. *Introduct.* p. 5. 6.

§ 2. Pulchra igitur B. Chemnitii observatio est: Duo Johanni in conscriptione sua historiæ proposita fuerunt: (1) ut ea, quæ à reliquis Evangelistis præterita erant, adjiceret. (2) Ut rationem monstraret, quomodo totius Evangelicæ Historiæ ordo & *ἀκολόγια* investigari & deprehendi possit. " Harmon. Evangel. c. XXXIII. prope fin.

III.

*Sub piscatoria Johannis simplicitate maxima latent mysteria.*

Endeis.

§ 1.

Exponam hoc verbis Megalandri, de Johannis Evangelio ita differentis: Ich mag wohl sagen / und habe oft gesagt / daß ich nie kein Buch gelesen habe / das doch so gar einfältig geredt und mit so schlechten Worten so tresslich unaussprechlich Ding fasse. Tom. VI. Opp. Altenb. fol. 355. b.

§ 2. I.



§ 2. Idem To. I. Jen. Lat. f. 220. a. inquit:  
“Horror est mihi in Evangelio Johannis ver-  
sari, tantum est ibi inæstimabilis Theologiæ:  
sum hoc sæpius expertus.“

§ 3. Ita statim ab initio Evangelii Johan-  
nis summam in verbis ejus simplicitatem de-  
prehendas, quæ tamen maxima in se conti-  
nent mysteria.

#### IV.

Sacro-sanctæ TRINITATIS mysterium nemo  
Johanne Evangelista luculentius asseruit.

#### Prob.

##### I.

Sic cap. I. 33. 34. Proto-Baptista mentionem  
facit *Patris*, qui misit ipsum ad baptizan-  
dum, *Spiritus sancti*, qui in Baptismo descen-  
dit, & *Filiī DEI*, qui baptizatus fuit.

2. Sic cap. III. 16. commemoratur de *Patre*,  
qui ex ineffabili amore mundo suum dedit  
*Filiū*, & v. 5. 6. de *Spiritu sancto* regenerante.

3. Sic Personam *Patris* & *Spiritus S.* illustrat,  
cap. IV. 23. 24. & Messiæ sive *Filiī* dignitatem  
extollit, v. 25. 26.

4. Sic c. XIV. 26. distincta trium SS. Trini-  
tatis Personarum mentio occurrit: *Advocatus  
ille, SPIRITUS SANCTUS, quem mittet PATER  
in NOMINE MEO* &c.

5. Sic i Joh. V. 7. illustre in primis testi-  
monium occurrit: *Tres sunt testantes in cœlo* &c.  
Ubi præsuppon. (a) ex Joh. III. 11. cap. V. 32.

cap.



cap. VIII. 18. c. XV. 26. Testes innui prop  
dictos. (b) Quemlibet Testem propri  
etum esse Personam. Ita demum licet arg  
mentari: Quot sunt in cœlo testes prop  
dicti, tot sunt Personæ in essentia divina. A  
qui Tres &c. Ergo.

6. Quid plura? Vix caput in Johanne o  
currit, ubi SS. Trinitas clarissimis indici  
haud describatur.

V.

*Johannes peculiaribus Nominibus Personas  
SS. Trinitatis insignit.*

Prob.

I.

**I**ta Patrem vocat Amorem, Joh. III. 16. 1 Ep. IV.  
8. 16. Pater enim diligit Filium, Joh. III. 31  
tanquam delicias suas, Prov. VIII. 30. Et amor  
erga homines, propter ordinem originis, in  
cipit à Patre, ita ut Pater nos diligat in Filiis,  
uterque suam in nos charitatem effundat  
per Spiritum sanctum. 1 Joh. III. 1. cap. IV. 9.

2. Ita Filium λόγον appellat, in primis na  
tione æternæ generationis à Patre, Joh. I.  
&c. sicut *Spiritus S. πνεῦμα* dicitur, ob mo  
dum processionis æternum. Observes at  
tem, quod ex singulari consilio ita stylum  
temperaverit Evangelista, ut semper abli  
querit à vocabulo λόγος, de Christo ἐνσάρ  
usurpando, & *Iesum, Christum*, aut *Filium Homi  
nis* appellari; indicio, per λόγον Personam

ασα



denotari, juxta B. Dorscheum in Pentadec. p. 366. & B. Varen. in Genes. p. 135.

3. Ita Spiritum sanctum per Unctionem metonymice designat, 1 Joh. II. 20. 27. Sensus est: Unctionem, sive cornu copiae revelationum, quod promiserat Christus ante adscensionem suam, nunc habetis, Et nostis omnia, quae ad salutem scitu & creditu sunt necessaria. Huic Chrismati Pentecostali acquiescere debetis. Adeoque audiendi non sunt seductores, qui seculum majoris revelationis expectant, & præter ultimam illam Spiritus sancti effusione, novam sibi revelationem pollicentur. Conf. B. D. Neumannii Programm. p. 197. sq.

## VI.

*Johannes ordinem Originis divinae diligenter respicit.*

### Prob.

#### I.

Sic Christus afferit, *se non posse à seipso quicquam facere*, Joh. V. 19. quia potentiam agendi per generationem æternam accepit à Patre, ita tamen, ut eam in seipso habeat propriam. Et explicatio desumitur ex v. 26. Ita, cum ait, *se non loqui à semetipso*, c. XIV. 10. hoc ipso ordinem originis innuit, qua non est à seipso, sed per æternam à Patre generationem.

X

2. Si-



2. Similiter Christus his verbis : *Spiritu sanctus non loquetur à semetipso*, Joh. XVI. 13. 15, non solum significat, Spiritus sancti doctrinam non fore humano arbitrio excogitatam, sed etiam simul insinuat æternam ipsius à Patre & Filio processionem. *Non loquetur à semetipso*, quia ab Eo, à quo est, videlicet Patre & Filio, ut habet suum Esse per æternam spirationem, ita &, quæcunque loquitur & inspirat hominibus. Conf. B. Gerhard in Harmon. Evang. cap. CLXXIX. ad h. l.

3. Neque vero inæqualitas hinc in Divinis metuenda. Haud enim, ab aliquo habere, simpliciter inæqualitatem infert, alias nos haud æqualiter essemus homines, ut parentes; sed aliquid ab alio per gratiam, & modo inferiori habere. vid. B. Althöfer. Harmon. emedull. p. 278.

## VII.

*Nullus Evangelistarum aut Apostolorum opusculum  
& æqualitatem Patris atque Filii adeo scilicet inculcat, ac Johannes.*

## Prob.

### I.

**I**ta Filius dicitur esse in sinu Patris, Joh. I. 18, qua phrasí intima & essentialis perichorēsis innuitur, ubi Filius est in Patre. Esse in sinu, denotat essentiam, ait Chrysost. ad h. l.

2. Ita



2. Ita in primis capite V. *όμοιοτία* Patris & Filii luculenter adstruitur. Ejusdem *essentia* Filius asseveratur cum Patre: Opera enim sunt indivisa. Ejusdem & æqualis est *sapiencia*, quia Filius non facit quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: Et Pater monstrat Filio omnia. Ejusdem & æqualis est *potentia*, quia, quæ Pater facit, eadem similiter & Filius facit, imo non potest aliud facere. Ejusdem est *voluntatis*, quia, quos vult, vivificat, sicut Pater. Similiter ejusdem & æqualis est *gloria*, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem.

3. Ita testimonium illud Joh. V. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso;* ipsissimam *όμοιοτίας* definitionem continet. Pater enim dedit Filio non aliam vitam, sed illam ipsam, qua ipse vivit: & tamen ita dedit totam, ut sibi totam retinuerit, quod proprium est consustancialitatis. conf. B. Chemnit. LL. Theol. P.I. f.m. 63,

4. Sic Joh. X. 30.: *Ego & Pater unum sumus.* Ubi non de unitate solius voluntatis & concordiae, sed essentiae singularissime simplissimeque unius sermonem esse, appetet in primis ex scopo. Probat enim Christus, neminem posse oves ex manu sua rapere, quod ipse & Pater unum sint, quod, quam Potentiam Pater habeat, eandem & Filius. Finge, de unitate concordiae solum esse sermonem, eadem consequentia posses inferre, nec è

manu Johannis aut Petri aliquem posse eripi  
Vid. pluribus B. Gerhard. in Disputt. Theol.  
1383. seq. & B. Dannhauer. in Hodosoph. pag  
233. seq. edit. recent.

5. Sic Joh. X. 37. augustum quiddam  
*έχαιρετον* sibi Christus vendicat, cum ait:  
*non facio opera Patris mei, non credite mihi.* San  
nulla causa secunda absolute dicere potest,  
facere opera causæ primæ. Additur v.  
incomparabilis illa *περιχώρησις* & *έμπονη*, qui  
inter Patrem & Filium. Nullo in loco simi  
dicitur, Deum esse in Sanctis, Sanctosque  
esse in Deo. Vid. B. Dorsch. in Theol. Zacha  
P. II. p. 293. seq.

6. Sic Joh. XIV. 9. 10.: *Qui vidit me, videt*  
Patrem; idque ideo, quia *Ego in Patre, & Pater*  
*in me est.* Scilicet, ut Pater & Filius non po  
sunt dividiri ratione essentiæ, ita nec respectu  
cognitionis possunt ab invicem segregari,  
aut Pater sine Filio, aut Filius sine Patre co  
gnosci. Indivisibilis namque *κοινωνία* uniu  
erjusdemque Divinitatis datur. B. Ag. Hun  
Opp. To. III. f. 926. in. Hinc & l. c. addit. Sa  
vator optimus: *Verba, quæ Ego loquor vobis,*  
*Meipso, i. e. seorsim ac separatum à Patre,*  
*loquor.* Pater vero, in Me manens, ipse facit opus  
quando indivisa operum *κοινωνία* *όμορφια* Pa  
tris & Filii arguit.

7. Sic c. XVI. 15. *Omnia, quæcumque Pater*  
*bet, mea sunt.* & cap. XVII. 10. *Omnia mea*  
*sunt, & tua mea sunt.* Quæ verba necessaria



eripi  
col.  
a. pag  
am  
ait:  
San  
otest,  
v. 3  
vn, qu  
o simo  
tosqu  
Zacha  
e, vid  
Pater  
on pol  
espetu  
regari  
tre co  
e uniu  
g. Hunc  
dit Sal  
vobis  
re, m  
it op  
tian  
Pater  
mea  
cessar  
ca

explicari debent de miranda *κοινωνίᾳ* s. unitate essentiæ Patris & Filii, gratia cuius Pater omnia, quæcunque habet, Filio per ineffabilem illam generationem æternam communicat. Recte colligit B. *Calovius* Bibl. Illustr. N. T. To. I. f. 802. a. Qui omnia habet, quæcunque habet Pater, is non minus essentiam divinam obtinet, quam Pater. At Christus, E.

### VIII.

*Christus solet Nomen suum postponere Nomini Patris, & omnia sua ad Patrem referre.*

#### Explicatio.

##### § 1.

**M**egalandri hæc observatio est, *de Ultimis Verbis Davidis*, quam repetit B. *Chemnit.* in LL. Theol. P. I. f. m. 103. a. Idem To. II. in Genes. f. 140. ita differit: “Nos ex Evangelio scimus, quod hunc loquendi modum Christus ubique servat, omniaque tum dicta, tum facta sua refert ad Patrem - - Ac *Johannes* præcipue hac loquendi forma delectatus est, ut ostenderet, omnia, quæ à Christo fiunt & dicuntur, fieri & dici tanquam à vero DEO, scilicet à DEO Patre.“

§ 2. Placet, egregiam hanc observationem aliquantulum explanare. Ita Christus *Opera* sua, quæ cum Patre communia habet, adscribit Patri, tanquam fonti & origini Deitatis. Ut: *de conservatione Ecclesiae*, Joh. XVII. 11. coll.



Matth. XVI. 18. *de voluntate in salvandis hominibus*, Joh. VI. 39. coll. Luc. XIX. 10. *de conversione hominis*, c. VI. 44. *de exauditione precum*, c. XVI. 23. coll. c. XIV. 13. 14. *de potestate sustuendi fideles*, ita loquitur, cap. X. 29. ut honoris Patris non obliviscatur. Adde loc. Joh. V. 26. 36. cap. XIV. 2. c. XVII. 2.

§ 3. Sigillatim *missio Spiritus sancti*, quamquam sit opus, Filio æque, ac Patri, compensans, ut plurimum tamen Patri à Christo adscribitur. Ut: Joh. XIV. 26. Et cum alius vice commemorat, quod ipse Spiritum missurus sit, Patris tamen mentionem simus injicit, c. XV. 26. Imo vero adeo honorem Patris urget, ut dicat, *se Patrem rogaturum, ipsi alium Paracletum det*, c. XIV. 16.

§ 4. Ita & doctrinam suam Servator optimus adscribit Patri, Joh. VII. 16. c. VIII. 26. 28. 40. c. XIV. 24. c. XVII. 6. coll. c. V. 24. VIII. 31. Nec minus in miraculis quæsivit honorem Patris sui, ut: Joh. X. 37. ubi opera sua Patrum opera vocat. item c. V. 36. XIV. 10.

§ 5. Quanto magis igitur & nos decet, ut omnia ad DEI gloriam referamus. 1 Cor. X. 31. Conf. B. Lundii *Ehre des Dreieinigen Gottes* p. 422. sqq.

## IX.

*Johanni consuetum est, quod plerumque homines primum ad Christum ducat, & inde per Eum ad Patrem.*

Expl.



## Explicatio.

### § I.

Iterum B. Lutherus hanc proprietatem sermonis doctrinæque Johannis observat, ubi in Postill. Domest. Fer. I. Pentec. ad Joh. XIV. 23. *Qui me diligit, eum Pater diligit*, his verbis differit: "Das ist recht Johannisch geredet/ der hat seine sonderliche Art/ welche die andern Evangelisten nicht also haben / daß er die Leute erstlich leucht zu Christo/ und darnach durch Christum zum Vater bringet." Conf. Joh. V. 24. *Qui sermonem meum audit, & credit in Eum, qui misit me &c.*

§ 2. Ita nimirum Johannes vult docere, primum peccatorem, post contritionem agnoscere hunc unicum Agnum DEI, sua peccata tollentem, & sic incipiat per hunc Mediatorem agnoscere ac complecti ipsum quoque Patrem, Ejusque plus quam paternum animum, qui ex immensa charitate Filium pro nobis in mortem dederit &c. juxta Flacium Prolegom. in N. T.

## X.

*Johannes per totum Evangelium hoc diligenter urget, Deum non nisi in Christo querendum esse.*

## Explicatio.

### § I.

Et hæc B. Lutheri nostri insignis observatio  
X 4 est,



est, quam variis in locis repetit, ac sedulo inculcat. Ut: To. IV. Jen. Lat. fol. 482.b. "No hodie de Deo non aliter cogitare, nec loqudebemus, quam qualis est in nostro vero Propitiatorio, Christo. Ita enim Christus dicit ad Philippum: *Qui me videt, videt Patrem meum.* item: *Nemo ad Patrem venit, nisi per me.*" -- Nam Deus in Christo se revelavit. Ide Christus quoque dicit: *Quicquid roga veritis Patrem in nomine meo &c.* Conf. To. III. fol. 378.a & To. IV. fol. 12. ubi inter alia citat locum Joh. XIV. 6. *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*"

§ 2. Addo locum notatu dignum ex To. VI. Altenb. f. 239. b. ad Joh. XVII. 10. Gie das ist / darauf S. Johannes in seinem Evangelie schier in allen Worten dringet / daß man nur die hohen schönen Gedanken lasse fahren / damit die Vernunft und fluge Leute umbgehen / und Gott suchen in der Majestät außer Christo. Er will in Christo in der Wiegen/ und der Mutter im Schoß liegen / oder am Kreuz hängen. -- Drum sei ein Christ nicht anders wissen/ Gott zu sachen/ noch zu finden/ denn in der Jungfrauen Schoß/ und am Kreuz/ oder wie und wo sich Christus in dem Wege zeigt.

§ 3. Similiter B. Chemnit. notat in Harmonia Evang. cap. XLVI. ad Joh. V. 22. 23. "Coniinet & hanc doctrinam illa sententia, Deum non debere quæri, nec posse agnosci aut inveniri, nisi in Christo, & per Christum. U-



quicunque vult in Deum credere, Deum apprehendere & colere, faciat hoc non vagabundis speculationibus, sed in Christo, & per Christum. “

§ 4. Colophonem addat B. Gerhard. in Harmon. Ev. c. CLXXVI. ad verba Philippi, *Ostende nobis Patrem*, h. v. commentans: “ Vagamur cogitationibus nostris, & extra Christum quærimus Deum, cum tamen extra ipsum non sit aliis Deus, nec Salvator. Esa. XLIII. 11. Scimus ex verbo, Filium DEI esse incarnatum, & in assumta illa carne pro nobis passum, sed interim oculos à præsepi & cruce avertimus, cogitamus de DEO sedente in throno cœlesti inter Cherubim ac Seraphim, ac *ambulante in summitate cœlorum*, Job. XXII. 12. hoc vero est, ad ignem consumentem accedere, quia Deus in nuda sua majestate extra Christum est ignis consumens. Deut. IV. 24. Hebr. XII. 29. “

## XI.

*Suavissime Christi APPELLATIONES apud Johannem in primis obviæ sunt.*

Prob.

### I.

Ita dicitur AGNUS DEI, portans peccata mundi,  
Joh. I. 29. AGNUS, occisus ab origine mundi.  
Apoc. XIII. 8. conf. Apoc. VII. 14. cap. XII.

X 5

II. &c.



II. &c. Quæ Christi appellatio Johanni in  
N. T. fere peculiaris est.

2. Sic *Vita* dicitur, quæ appellatio apud  
Johannem frequens est, c. I. 4. V. 17. VI. 36.  
XI. 15. XIV. 6. 1 Joh. I. 2. c. III. 15. V. 12. 20.  
Apoc. II. 7.

3. Ita appellat se *donum DEI*, Joh. IV. 10. 0.  
*stium*, c. X.

4. Ita Christus & alias suavissima cogno-  
mina sibi usurpat, nunc se *panem vivum*, Joh.  
VI. nunc *fontem vivum*, c. IV. vocans, quibus  
non tam nos ad fidem invitat, quam se no-  
bis totum una cum omnibus suis bonis do-  
nat. Cum enim se panem & fontem vivum  
dicat, nonne hoc ipso nobis credentibus o-  
mnem mentis saturitatem donat? B. Brendii  
verba sunt *Exeg. in Joh.* p. m. 190.

5. Similiter *bonum Pastorem* se vocat, Joh.  
X. 11. quo cognomine pollicetur nobis ovi-  
bus, admodum stultis & perditis, omnem pa-  
storitiam solicitudinem & diligentiam. At-  
que ut ex cognomine ovis nostram <sup>gdevis</sup>  
agnoscimus; ita rursus ex cognomine Pa-  
storis fidem concipimus, qua docemur, unde  
sit nostræ imbecillitati subveniendum.

## XII.

*Johannes veram Christi Divinitatem præ reli-  
quis N. T. Scriptoribus solide adstruit.*

Prob.



Prob.

I.

**Q**uia cœteri Evangelistæ Divinitatem Christi ex admiranda conceptione, fastisque & miraculis ; Johannes vero ex DEI Nomine & attributis demonstravit, Eumque ultra Abrahamum, Mosen, Johannem Baptistam & alios Prophetas omnes extulit, cap. I. I. seq. observante *Matth. Polo* in *Synopsi Crit.* ad h. l. *Conf. B. Lutherus Tom. VI. Altenb.* f. 1133. in.

2. Quia Joh. V. 19. -- 36. Christus Deitatem suam 9. argumentis adstruit. Vid. *Pelarg. in Johann.* p. 60.

3. Quia de Christo exsertis verbis affirmat: *Hic est verus Deus, Et vita eterna.* 1 Joh. V. 20. Hæc enim verba de Christo, tanquam subiecto propinquiori, accipienda esse, adversus *Schlichtingum* solide monstrat B. Jo. Christoph. Franckius in *Demonstrat. Deitatis Christi*, pag. 123. seqq.

4. Quia Evangelium Johannis in omnibus fere capitibus & versiculis nihil est aliud, nisi testimonium de Christi Divinitate, juxta B. Urb. Regium in *Dialogo*, p. m. 228. Sicut & B. Lutherus aliquando ad *Philippum*: “Glaubet ihr auch / daß Johannes ein Commentarius sei über die ganze Bibel ? Paulus auch. Es ist kein Wort / Johannes wolte gern Christum Deum machen. Sacra Scriptura magis urget Filium, quam



quam Patrem, quia tota Scriptura est propter Filium. " citante Hier. Besoldo Præfat. in To. IV. Enarrat. Lutheri in Genesin. Et To. VI. Altenb. notat : Es ist Johannis Weise für andere Evangelisten zu bestätigen den Artikel / dass Christus wahrhaftiger Gott sey mit dem Vater f. 225. a. Conf. To. VIII. f. 475. b. Idem Magalander veram Christi Deitatem ex Johanne sigillatim monstrat , quia dicitur Filius DEI unigenitus, cap. I. atque hoc ipso à filiis reliquis discernitur, To. VI. Alt. fol. 66. b. Ab Attributis , ut sunt : Æternitas, To. VI. fol. 1127. b. Omniscentia To. V. f. 697. a. VI. f. 1358. b. Omnipotentia, ad quam miracula pertinent, To. VI. f. 1174. b. Christus enim apud Johannem saepius ex miraculis, à se editis, demonstrat , sc esse DEI Filium , verum mundi Messiam ; item, quod omnia donare potest, To. VII. f. 84. a. Honor div. adorationis, & fiduciæ, in ipsum ponendæ. To. VI. f. 69. a. VII. f. 51. b. 86. a.

5. Quia non obstat locus Joh. XIV. 28. *Pater major me est.* Scilicet non quoad divinam Naturam, *Ego enim & Pater unum sumus*, cap. X. 30. nec quoad dignitatem vel gloriam humanæ Naturæ. Gloriam enim, quam habui apud Patrem ab æterno , communica mihi in tempore, Joh. V. 23. sqq. c. XVII. 5. Sed quoad statum exinanitionis, quem tamen brevi deponam, evehendus ad Dextram Gloriarum DEI. B. Calov. in Bibl Metaphrast. MSS. ad Joh. XIV. 28.

6. Quia



6. Quia nec obstat etiam Joh. XVII. 3. Hæc  
est vita æterna, ut cognoscant Te solum verum DEum.  
Namque haud dicitur, σὲ μόνον, sed, σὲ τὸν μό-  
νον, ut ita τὸ solus non ad subjectum, sed ad  
prædicatum pertineat, h. m. Pater est ille  
Deus, qui solus verus est. Adeoque solus  
verus Deus, est totum prædicatum, omnibus  
tribus Deitatis Personis commune: quæli-  
bet enim earum est ille solus verus DEUS.  
Vid. locum hunc adversus strophas Socinia-  
norum vindicatum à B. Scherzero in Colleg.  
Anti-Socin. pag. 107. sq. & confer B. Dorsch.  
P. II. Theol. Zachar. p. 236. sq.

Recte dixeris, *Lucam faciem JESU*, ut Filii  
hominis, *Johannem* autem ut Filii DEI, magis  
delineasse. Hic enim scopus conscripti à  
Johanne Evangelii fuit, ad retundendas Ce-  
rinthi blasphemias. Conf. B. Chemnit. LL.  
P. I. f. m. 56. b.

### XIII.

*Incarnatio Filii DEI atque personalis unio va-  
ria elegantique periphrasi apud Johan-  
nem depingitur.*

#### Prob.

##### I.

Sic ὁ λόγος dicitur *cero factus*, Joh. I. 14. sci-  
licet per unionem hypostaticam. Phra-  
sin egregie explicat B. Chemnit. de duab. Nat.  
cap. IX, init. “ Primus homo dicitur *factus*

in



*in spiritum viventem, 1 Cor. XV. non quod caro conversa sit in animam, h.e. in spiritum; sed quia facta est unio animæ & corporis.* Addit autem Paulus: *Secundus homo, Christus, factus est in spiritum vivificantem.* Et vocabulum *Spiritus* ibi de Divina Natura in Christo intelligitur, sicut 1 Pet. III. dicitur, *vivificatus spiritu.* Hic locus manifeste ostendit, sicut verbum *εγένετο* dicitur de unione corporis & animæ in homine, eodem etiam modo usurpari de unione divinæ & humanæ Naturæ in Christo, sine conversione s. confusione. “

2. Sic Filius DEI à Patre in mundum missus dicitur, Joh. III. 17. c. XVII. 1 s. 1 Joh. IV. 9. Et sensus est, quod Filius DEI fuerit emissus ex cœlo & inaccessibili illa luce in hunc mundum, & assumserit veram perfectamque humanam naturam, ut in illa protius generis humani peccatis pateretur & moreretur. Vid. B. Feurborn. Opp. Theol. p. 735. sqq.

3. Similiter ὁ λόγος in mundum venisse dicitur, Joh. XVI. 28. c. XVIII. 37. Venit autem in mundum, in quo antea erat, Joh. I. 10. quia nova manifestatione, nempe personali assumptione humanæ naturæ adesse, & cum hominibus visibiliter conversari coepit.

4. Ita Christus asseverat, se à Patre exivisse, Joh. XVI. 28. Sicut & de cœlo descendisse dicitur, c. III. 13. dum per humanæ naturæ assumptionem ex invisibili Patris throno descendens, in carne manifestatus est, 1 Tim. III. 16. Ni-

mirum



mirum Filius exivit à Patre per incarnationem, ut tamen substantia sua ex Patris sinu nunquam recesserit, cap. I. 18. & simul cum Patre unum manserit, c. X. 30.

5. Sic incarnatio Christi per Φανέρωσιν indigitatur, 1 Joh. I. 2. c. III. 5. 8. c. IV. 9. ubi Deus invisibilis in Natura humana factus est visibilis.

6. Denique *in carne venisse* dicitur, 1 Joh. IV. 3. ubi Verbum caro factum est, vocabulo carnis synecdochice sumto.

Verum adeo B. Lutheri nostri effatum est: S. Johannes hat den Gebrauch allezeit/ daß er den hohen Artickel sehr gewaltiglich beschleusset/ daß Christus sey wahrhaftiger Gott und Mensch in einer Person. -- Also ist der Evangelist Johannes ein Meister über alle andere Evangelisten/ denn er immerdar diesen Artickel treibet/ daß Jesus Christus sey wahrhaftiger Mensch und wahrer Gott; diese zwey Naturen vereiniget er zusammen sc. To. V. Altenb. fol. 648. ad Joh. VI. 40.

#### XIV.

*Johanni per quam familiare est, Personas Divinitatis de Messia TESTANTES introducere.*

#### Prob.

##### I.

Sic Pater de Filio testatur, Joh. V. 37. c. VIII.  
18. quo referendum in primis testimoniū vocis Paternæ in Baptismo Christi,

##### 2. Sic



2. Sic *Filius de seipso testatur*, scilicet verbo & miraculis, Joh. V. 36. c. X. 25. Quando autem Dominus cap. V. 31. afferit: *Si Ego testis de meipso, testimonium meum non est verum*; illud de testimonio separato intelligendum, juxta c. VIII. 18. *Ego sum, qui testor de meipso, et testatus de me Pater, qui misit me.*

3. Sic *Spiritus sanctus vel maxime de Filiis dicitur testari*, Joh. XV. 26. Ad quem locum B. Eg. Hunn. nervose commentatur: "Perhibet testimonium de Christo, quatenus Deum & hominem, atque ita verum Messiam & Salvatorem humani generis coram toto mundo declarat per verbum Evangelii, & quatenus intrinsecus etiam in cordibus piorum fidem JESU Christi obsignat."

Cum itaque tres summi Testes in coelum JESU nostro perhibeant testimonium, coll. I Joh. V. 7. omni hoc exceptione majus est quod JESUS sit verus Messias, Salvator mundi.

## XV.

*Johannes mortem, resurrectionem atque adscriptiōnem Domini, per ABITUM AD PATREM designat.*

Prob.

I.

*Ex Joh. XLI. 1. Sciens JESUS, quod venisset homo ipius, ut TRANSIRET EX MUNDO HOMINIS AD PATREM. Jucunda mortis Christi descriptione*

verbo scriptio, propter quam nostra quoque mors eandem definitionem sortitur, quod sit transitus ad Patrem cœlestem. Scilicet Christus non mansit in morte, à qua illum teneri, erat impossibile, Acto. II. 24. sed per eam ex miseria ad summam transiit felicitatem.

2. Ex Joh. XIV. 28. ubi Christus ait: *Profeſſor ad Patrem*, confer v. 2. 3. Πορεύομαι in locum S. inter alias significaciones mori, & quidem voluntarie, significat. Ita ergo h. sumendum est, inclusa simul gloria ad scensione, ad Dextram Patris sessione, & apud eundem pro nobis intercessione. Qui tamen abitus non omnem indicat absentiam, sed tantum visibilis conversationis, Joh. XVI. 10. Ut enim *exire à Patre*, Joh. XVI. 28. non est, localiter à Patre separari, cap. XIV. 10. ita etiam πορεύεσθαι, non dicit totalem absentiam, siquidem Christus, secundum humanam Naturam ad Dextram DEI exaltatus, omnibus adest, Matth. XXVIII. 20. notante B. Wilb. Lysero Disputatt. Exeg. in Joh. Disp. XIV. § 11.

3. Ex Joh. XVI. 5. *Nunc VADO AD EUM*, qui misit me. conf. c. XIII. 33. 36. “Phrasis, vadere ad Patrem, B. Nisanii verba sunt Comment in Johann. p. 882. subindicit integrum curriculum, quod Christo ratione officii sui mediatorii adhuc absolvendum restabat, adeoque notat Christi passionem, mortem, resurrectionem, adscensionem ad cœlum, & sessionem ad Dextram DEI. -- Abiit Christus ad

Y

Patrem



Patrem suum, quando per passionem & mortem in gloriam Patris est ingressus, *Luc. XXIV. 26.*"

4. Ex c. XVI. 28. *Vicissim*, ait Dominus, *S*linquo mundum, & PROFICISCOR AD PATTREM. Ubi phrasis, *ire* seu *vadere* ad Patrem, vi oppositi notat, relictâ visibili illa cum hominibus in terra conversatione, ingressu in divinam illam Patris gloriam & maiestatem, h.e. ut verbo dicam, exaltationem. Quæ exaltatio, quia ambitu suo multa compleatur, nempe resurrectionem à mortuis, ascensum in cœlos, & sessionem ad Dextram DEI, proba & vera etiam est interpretatione fiducrum, qui hac phrasi, *vado ad Patrem*, omnium simul comprehendi docent &c. B. Mentre Opp. To. I. p. 890. a.

5. Ex Joh. XVII. 11. *Ego ad Te venio*, ait Christus ad Patrem. Sensus est, Christum passionis ignominiam in Patris gloriam ingressurum, & visibili cum Apostolis conversatione, formaque servi deposita, plena communicatae universalis potestatis *χριστος* ad Dextram Patris usurpaturum. Vid. B.G. in Explicat. cap. XVII. Joh. p. 115. sq.

## XVI.

*Observes apud Johannem, quod ea sibi similiter Christus adaptaverit, quæ plurimum valerent ad nos una conjungendos.*



Prob.

I.

inus, Sic *Lux* vocatur, Joh. I. c. VIII. &c. ut nos  
AD P illuminet.

l Patr, 2. Sic *Sponsus* dicitur, Joh. III. 29. quia nos  
cum h sibi arctissime copulavit. Vide pulchra apud  
gressu Pelargum in Joh. p. 35. b.

majell. 3. Sic *Panem Vitæ* se appellat, Joh. VI. v. 35.  
m. Qu quem per fidem comedimus.

mplic 4. Ita *Viam* se vocat, Joh. XIV. v. 6. ut nos  
uis, a Ipsum per angusta ad augusta sequamur.

Dextra 5. Ita *Vitem* se dicit, cap. XV. i. cui nos per  
tatio fidem, tanquam palmites, inserti sumus. ibid.

mniali V. s.

Mentu O vinculum arctissimum! ô amorem ca-  
lidissimum! Quid ergo nos ab Eo separerit?

XVII.

Frequens hæc Christi formula apud Johannem  
occurrit: *EGO SUM*, qua, verum se esse  
Messiam, indicat.

Prob.

I.

Ita ad mulierem Samaritanam ait: *EGO SUM*,  
qui loquor tecum, Joh. IV. 26. Et observat  
Chrysostomus, Christum multo majus dogma  
huic mulieri revelasse, quam Nicodemo, aut  
Nathanaëli.

Y 2

2. Ubi



2. Ubi Judæi acriter cum ipso disputant  
nosse volunt, quis sit? respondet ipsis:  
*SUM Lux mundi*, Joh. VIII. 12. *EGO SUM*  
*qui testimonium perhibeo de me ipso*, v. 18. *Tu cognoscetis*, *QUOD EGO SUM*, v. 28. *Nisi daberis*, *QUOD EGO SUM*, moriemini in *patribus vestris*, v. 24. *Antequam Abraham esset*, *Ego SUM*. v. 58.

3. Idem postea crebro repetit, ut: Joh.  
7. 9. *EGO SUM janua ovium*. v. 11. *EGO SUM*  
*Pastor ille bonus*. conf. c. VI. 35. XI. 25. XIV.  
XV. 1. XII. 37.

4. Similiter Apoc. I. 8. *EGO SUM A principio & finis*. v. 17. *EGO SUM primus & novissimus*.

B. Lutherus ad Joh. VIII. 5. In der Historie des Leydens Christi sollen wir am meisten Achten haben auf die Person / welcher Leyden beschrieben wird. -- Solches hat S. Johannes für anden Evangelisten fleißig angezeigt/ und zuerst die Person so da leidet/ gar eigentlich fürgebildet/ daß auch der ander Evangelist sich also beslossen hat/ die Person einzubilden/ als S. Johannes. Aus welcher Ursache auch das Wörtlein/ Ich bins/ von Johanne also so mit grossen Ernst angezogen. To. IV. Alter f. 650. a.

*Nota:* Formula hæc Salvatoris piis in solitum vergit. Sic cum Dominus aliquando ad Apostolos, noctu navigantes, & orta tempestate trepidos, diceret: *EGO SUM, nolite timere*, protinus ita sunt animati, ut Petrus, c.



utantur navi profliens, super aquas Christo obviam  
processerit. Joh. VI. 20. coll. Matth. XIV. 27. sq.  
O SU Vicissim vero infidelibus atque impiis hoc  
8. T nomine, *EGO SUM*, nihil potest esse formi-  
Nisi in p dabilius, ut patet ex Joh. XVIII. 5. Namque  
cum cohors, à Sacerdotibus missa ad capien-  
t, E dum Christum, ex ipso audiret hanc vocu-  
lam: *Ego sum*, mox abierunt retrorsum, &  
Joh. deciderunt in terram. Conf. B. Polyc. Lyser. in  
GO SU Abrah. p. 240. seq.

XIV.

### XVIII.

A & observes apud Johannem, quod Christus suum,  
primus aut Patris erga nos affectum, ex affectu Patris  
erga ipsum suavissime declaret.

### Prob.

#### I.

Sic Joh. X. 14. 15. *Ego cognosco mea*, singulari-  
cum èudonia, & cognoscor à meis, per veram  
fidem: *Sicut cognoscit me Pater*, & *Ego cognosco*  
*Patrem*. Ubi tamen per particulam  $\alpha\delta\omega\varsigma$   
non *equalitas*, sed *similitudo* ex parte aliqua in-  
nuitur, & sensus est, quod Christus suos inti-  
me cognoscat, uti à Patre cognoscitur, quæ  
divina est cognitio, & quia cum affectu dile-  
ctionis conjuncta est, divinum Christi erga  
nos amorem infert.

2. Ita Joh. XV. 9. *Sicut dilexit me Pater*, sic  
dilexi vos. Unde colligitur, quod Christus  
omnes vere credentes summo & ineffabili

Y 3

amore



amore prosequatur. Vid. egregia apud  
Gerhard. ad h. l. Harmon. Ev. cap. CLXXV  
f. m. 249. b.

3. Similiter Joh. XVII. 23. *Ego in ipsis, &  
in me - - - & dilexisti ipsis, sicut me dilexeris.*  
conf. v. 26.

Observatio hæc B. Casp. Neumann est in  
rim & Thummim pag. 603. quam his verba  
explanat: Das ist was gewöhnliches bei  
Gott / allemahl/ wenn Er sagen will/ wie Er/ oder  
Himmlicher Vater gegen uns gesinnet sey/ so spricht  
Er: Er stehe so mit uns/ wie Er selbst mit seinem  
Himmlichen Vater / und sein Vater mit Gott.  
Diss Gleichniß ist voller Liebe.

## XIX.

*Ex indicio Johannis hoc in more possum habere  
Christus, ut à rebus externis & corporalibus  
quas tempus & locus offerebant, occasione  
sumeret docendi de spiritu-  
libus mysteriis.*

### Prob.

#### I.

**S**ic differens cum muliere Samaritana, quæ aquam haustum venerat, aquam spiritu quæ est Evangelium, in sermone suo commendat, Joh. IV. 10. sqq. conf. & v. 31.

2. Sic turbas, panem terrenum desiderantes ad panem spiritualem ac perpetuo manentem revocat, Joh. VI. 26. sqq.



3. Sic, cum Judæos circa finem festi Tabernaculorum ex fonte Siloah aquas haurire videret, incipiebat de aqua, quæ est Spiritus sanctus, testari, c. VII. 37. 38. 39.

4. Ita Joh. XI. 25. ait Dominus, Lazarum resuscitaturus: *Ego sum resurrectio & vita.* Atque hac occasione demonstrat Marthæ divinam suam Naturam, & absolutam vivificandi dūvāμiv.

5. Ita cap. XII. 23. seqq. Christus, templo repurgato, insignem de fructu mortis suæ concionem instituit, ut, sublatis abusibus, verum templi usum statim ipso facto demonstraret. "Pulchra est observatio, ait B. Gerhard. Harmon. Evang. cap. CXLVII. ab init. quod, quemadmodum in prima repurgatione, quam Johannes c. II. v. 14. describit, de templo corporis sui fuerat concionatus, quod illud per mortem sit solvendum, per resurrectionem vero iterum erigendum, v. 19. ita quoque in hac secunda templi repurgatione de sua passione & morte, eandemque subsecutura resurrectione & glorificatione, auditoribus suis concionetur, ut à typō ad antitypum, à templo externo ac terreno ad templum spirituale corporis sui, in quo tota plenitudo Deitatis habitat σωματικῶς, Col. II. 9. eos deducat."

6. Ita in exitu Hierosolymitano, proxime ante passionem, vineas conspiciens, occasionem inde sumebat Dominus, seipsum cum

Vite, Patrem cum *Vinitore*, & fideles cum *Palmito* comparandi, Joh. XV. 1. sqq. Sive dixeris, Christum se cum fructuosa vite comparare, per occasionem vini, post cœnæ finem bibendi, qui fuit calix benedictionis, inter discipulos distribuendus.

*Isaac. Casaubonus* Observationem h. m. proponit: Fuit hæc Domino consuetudo, ut spiritualis doctrinæ arcana patefacturus, occasionem ac velut ansam sermonum suorum sumeret interdum ex aliqua rerum sensibilium similitudine. *Exercit. ad Baron.* p. 277. a.

## XX.

*Similiter observes apud Johannem, quod Christus ex factorum & miraculorum occasione ad dogmata fidei inculcanda progrediatur.*

### Prob.

#### I.

**I**ta Joh. V. post sanationem ægroti, ad piscinam jacentis, Servator egregiam concionem habet de operibus suis, atque inde, verum se esse Messiam, demonstrat.

2. Idem observes Joh. VI. peracto miraculo in tot hominibus, paucis panibus saturatis.

3. Et Joh. IX. post cœci curationem ad propria concionem digreditur Dominus.

Hinc recte observat *Flacius P. II. Clavis, Johannem plerumque ideo narrare Christi miracula*



racula ac facta, ut inde suuntam ipsi dicendi occasionem esse, ostendat.

## XXI.

*utilis est hæc apud Johannem observatio, pulcherrimas conciones de summis & precipuis Articleulis, qui ad doctrinam Evangelii propriam pertinent, Christum Hierosolymis habuisse.*

*Ex. Deo. 15.*

### § I.

*I*ta cum Servator primo anno in concione ad Nicodemum Hierosolymis docuisset, se esse non tantum filium hominis, sed & Filium DEI unigenitum, Joh. III. Jam secundo anno ibidem integrum concionem instituit, de utraque Natura in sua Persona, de personali earum Unione, & de usu hujus doctrinæ, cap. V. VI. &c.

§ 2. Sine dubio autem hoc propterea factum, quia scriptum est: *De Zion exibit Lcx, Et Verbum ex Jerusalem. Esa. II. 3. Mich. IV. 2. B. Chemnit. Harmon. Evang. cap. XLVI.*

## XXII.

*Peculiaris apud Johannem phrasis est, eaque μυσηριώδης, qua Filius in sinu Patris esse dicitur, Joh. I. 18.*

X 5

Prob.



## Prob.

I.

**Q**uia ita loquitur propter *eternam Filii à Patre generationem*. Sinus enim filiationis signum est atque Symbolum. Hinc filii à parentibus geniti, dicuntur esse in ipsorum sinu, quia parentes eos in sinu & gremio suo sæpius gestare solent. Sicut filii Machir, filii Menasse, nati dicuntur *in genibus*, Gen. L. 23, eo quod recens natos genibus & gremio suscepit, ac deliciarum causa in sinu gestarit. conf. omnino Num. XI. 12. Sic qui h. l. dicuntur esse in sinu Patris Filius, eo ipso ex essentia Patris genitus insinuatur. Hinc & epitheton *Unigeniti* adjectum est, omnibusque aliis, vel creationis, vel adoptionis gratia Dei filiis hæc phrasis opposita. Sicut & Prov. VIII. 30. Filius DEI similitudine pueri, in conpectu parentis sui ludentis, figuratur.

2. Quia hac phrasi *arctissima Filii cum Patre cognatio innuitur*. Per τὸ esse in sinu denotatur in Scripturis τὸ ἀχώριστον, observante B. Campario in Notat. figurar. N. T. ad h. l. Conf. Job. XIX. 27. *Hæc spes reposita est IN SINU MEO*. Innuitur igitur hac addita pericope, quod ἀόγων per incarnationem non fuerit à Patre separatus, sed Patri manserit arctissime unitus. *Ipse in Patre, & Pater in ipso*, Joh. XIV. 9. per essentiæ identitatem mutuamque περιχώρησιν, tanquam עמיות, גברproximus Patri.



Patri, ejusdemque naturæ, Zachar. XIII. 7.  
Conf. B. Dorscheum, phrasin Joanneam ex ipsis  
Textus visceribus declarantem, P. II. Theol.  
Zachar. p. 240.

3. Quia hæc loquendi ratio *intensissimam* in  
Divinis *dilectionem* notat. Quos olim intime  
& peculiariter amabant, illos convivaturi in  
sinu suo accumbere faciebant, ut ex Johannis  
exemplo patet, Joh. XIII. 23. Conf. & Luc.  
XVI. 22. 23. ubi κόλπον τῷ Αβραὰμ commode  
exponas de sinu, in quo & Abraham, cœu Pa-  
ter credentium, recumbit, coll. Matth. VIII.  
11. Videtur autem ibi respicere morem, quo  
parentes liberos, mala perpessos, in sinum  
suum tollunt, ut malorum eos oblivisci fa-  
ciant, & variis blandimentis consolentur,  
juxta B. Seb. Schmid. in Fascic. Disp. p. 888. seq.  
Et alias quoque sinus *amoris* symbolum est in  
Scripturis, unde uxor dicitur *mulier sinus*,  
Deyt. XIII. 6. γυνὴ τῷ κόλπῳ, Sirac. IX. 1. pro  
uxore dilectissima, conf. Mich. VII. 5. & vi-  
cissim de viro, *in sinu uxoris* dormiente, Devt.  
XXVIII. 56. Quare, cum Filius Patri cœlesti  
sit unice charus, Joh. III. 35. inde in sinu Eius  
esse dicitur.

4. Quia hæc phrasis *plenissimum omnium par-*  
*ticipationem* infert. Sicut Christus ipse Esse su-  
um in sinu Patris explicat: *Omnia, quæ Pater*  
*habet, mea sunt.* Joh. XVI. 15.

5. Quia denique *secretissimorum communica-*  
*tionem* ostendit. Si quid enim arcanum ha-  
bemus,



bemus, illud *in sinu gestare* dicimur. Quia ergo Filius arcana Patris consilia novit, inde etiam dicitur esse in ipsius sinu. Quam quoque rationem ostendit Evangelista h. l. *DEum nemo vidit unquam: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Si solus Filius Patrem, quem nemo unquam vidi, manifestare potuit, consequens est, Eum adeo esse Patri coniunctum, ut secretissima Ejus habeat cognita atque perspecta. Vid. ulterius de hac phras<sup>i</sup> B. Gerhard. Comment. in Deuteron. p. 821. seq. & Pelarg. in Johann. p. 13. b.

### XXIII.

*Ἄκριβεια Johanna est, qua Filio τὸ ἐξέρχεσθαι  
sanctō autem Spiritui τὸ ἐκπορεύεσθαι  
appropriatur.*

Prob.

I.

*Ita τὸ ἐξελθεῖν de Filio usurpatur, Joh. VIII. 42.  
XIII. 3. XVI. 28.* Ubi notandum, quod proprius ac principaliter per τὸ exire à Patre hoc intelligatur, quod Filius DEI à Patre suo cœlesti in hunc mundum ad peragendum opus redēctionis missus, veram naturam humanam assumserit, inque ea sese humiliaverit. Interim hic à Patre exitus & in mundum adventus præsupponit exitum à Patre per æternam ex ipsius substantia generacionem, quia in Divinis Persona in tempore non mit-



mittitur, nisi ab ea, à qua ab æterno emanat. Et convenit etiam hoc sensu τὸ ἐξέρχεσθαι cum Νῦ Hebræorum, quod usitate de filiis adhibetur, eo quod egrediantur ex substantia Patrum per generationem, 2 Par. XXXII. 21. Sicut de Messia ipso adhibetur: *mozaothav*, *egressus s. exitus Ejus à diebus æternitatis*, Mich. V. 2.

2. Ita Joh. XV. 26. adhibetur vocabulum ἐκπορεύεσθαι, quod proprium est Spiritus sancti, ad characterem Ejus personalem designandum, quod Spiritus S. non sit creatus, nec genitus, sed ab æterno procedat. Sicut & Apoc. XXII. 1. ἐκπορεύτεως vocula ad describendam æternam Spiritus S. processionem adhibetur, ubi *fluvius purus aquæ vivificæ*, qui Spiritus sancti symbolum, dicitur ἐκπορευέμενος, *egrediens ex throno DEI & Agni*. conf. Joh. VII. 38.

3. Est & illa observatio non prætereunda, quod de missione Spiritus sancti temporali non usurpetur verbum ἐκπορεύεσθαι, sed εἰληφεν, ubi Dominus ait: *Quando VENERIT Paracletus, quem Ego MITTAM vobis à Patre;* & tum sequitur: *Spiritus, qui à Patre EGREDI-TUR*, Joh. XV. 26. Ut ita his vocabulis Dominus æternam Spiritus S. processionem à temporali Ejus missione luculenter distinguit. Vid. B. Chemnit. LL. Theol. P. I. fol. m. 103. b. B. Carpzov. Sen. Opp. posth. p. 591. & confer Disputt. Theol. Witteb. Tom. II. pag. 879. seq.

## XXIV.



XXIV.

Johanni peculiaris est vox PARACLETI.

Prob.

I.

Ita Spiritus S. à Christo in solo valedictorio sermone appellatur quatuor vicibus, Joh. XIV. 16. 26. cap. XV. 26. c. XVI. 7.

2. Ita & Christus *Paracletus* dicitur, i Joh. II. v. 1.

3. Est autem vox prægnantissima, quæ vi etymologiæ suæ eum notat, qui alicui patrocinio suo succurrit, ejus causam & sententiam tuetur, sicque *Advocatum* agit. Conf. pluribus B. *Gerhard.* in *Harmon. Evang.* cap. CLXXVI.

4. Licet vero tam Filius, quam Spiritus S. Paracleti munere fungatur, distincta tamen utriusque manent beneficia. Aliter Filius dicitur παρακλητός, verba sunt B. *Dannhauer.* aliter Spiritus sanctus. Filius intercedit intercessione formali, ἵλασμη & mediatoria; Spiritus S. intercedit intercessione effectiva, s. applicatoria. In *Hodoceph.* p. 940. edit. recent. Conf. B. *Feurborn.* Opp. Theol. p. 1309. & Phil. *Melancht.* Explicat. Evangel. P. II. pag. 325. seq. Alias distingvunt quoque Theologi advocationis officium ratione *causidicinæ*, & *assistentiæ*, ita ut Christus sit Paracletus noster ratione utriusque, at Spiritus S. ratione tantum assistentiæ. Vid. B. *Carpov.* Sen. Opp. posth.

pag.



pag. 478. & B. Rappolt. Opp. Theol. Tom. I.  
pag. 93.

O! ergo nos terque quaterque beatos, qui  
& Christum θεάνθρωπον, & Spiritum sanctum  
habemus Advocatum.

### XXV.

*Johannes est copiosus LIBERI ARBITRII vastator.*

#### Explicatio.

##### § 1.

Est hæc Megalandri nostri observatio, quam  
h. m. explanat, in libro contra Erasmus,  
Tom. III. Jen. Lat. fol. 233. a. "Quicquid Johannis de mundo dicit, de libero Arbitrio intelligitur, ut quod est præstantissimum in homine. Igitur apud hunc Apostolum mundus non novit lucem veritatis, cap. I. Mundus odit Christum & suos. Mundus non novit, neque videt Spiritum sanctum. Mundus totus in maligno positus est. Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis &c." Conf. To. III. Alt. f. 282. a.

§ 2. Similiter in Evangelio Johannis hujusmodi loca occurrunt, ut: *Mundus non cognovit Eum*, c. I. 10. Ubi B. Chemnit.: "Ostendit ita tristem esse cœcitatem naturæ lapsæ, ut naturalibus viribus rationis non possit Christum agnoscere." Et cap. VIII. 23. Christus ad Pharisæos: *Vos estis de mundo hoc*, ubi respicit naturalem illam depravationem, quæ per lapsum est ingressa &c. explicante B.

Polyc.



Polyc. Lysero Harmon. Evang. cap. CII. Conf.  
Joh. XV. 19. 1 Joh. IV. 5.

§ 3. Eodem sensu & de Carne loquitur Johannes, ut: c. III. 6. *Quicquid ex carne natum, caro est.* cap. VIII. 15. *Vos secundum carnem judicatis.* c. VI. 63. *Caro non prodest quicquam.* itemque de Tenebris frequens ipsi sermo est: Joh. I. c. III. 1 Joh. I. c. II. &c.

Ita scilicet naturalis nostra corruptio à Spiritu S. sedulo inculcatur, siquidem innata nobis est φιλαυτία, quæ facit, ut gravissimum & terrorimum illud damnum, quod ex Adalapsu provenit, non agnoscamus.

## XXVI.

*REGENERATIO nostra apud Johannem tribus Deitatis Personis sigillatim adscribitur.*

Prob.

I.

Sic Regeneratio ad Filium refertur 1 Joh. II. 29. *Omnis, qui facit justitiam, ex illo natus est.* Ubi B. Seb. Schmidius urget Relativum Christus enim, tanquam Mediator nostram efficienter, quam meritorie, Regenerationem peragit.

2. Quia autem Regeneratio nostra ex Patre, per Filium, ideo Johannes & Patrem appellat, in relatione clariori ad filios, 1 Joh. III. 1. *Videte, qualem amorem nobis dederit PATER ut FILII DEI vocemur.*

3. Ne



3. Nec minus Spiritui sancto opus Regenerationis attribuitur, Joh. III. 5. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & SPIRITU &c.*

Scilicet Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Confer de *Regeneratione* & Tit. III. 5. 6. item de *Justificatione nostra*, I Cor. VI. 11. de *Prædestinatione*, I Pet. I. 1. 2. Atque hæc solatii plena res est, quod tota SS. Trinitas ad perficiendam salutem nostram concurrat.

## XXVII.

*Johannes Scriptor plane Evangelicus est, qui Articulum de JUSTIFICATIONE per solam fidem in primis urget.*

Ex. Theor. c.

### § 1.

De veritate dicti testatur universum ejus Evangelium. Unde B. Lutherus ad Joh. VI. Omne, quod mihi dedit Pater, venit ad me, pulchre observat: Aus diesem Text höret und vernimmt man / daß S. Johannes am meisten den hohen und Haupt-Artikel unsres Christlichen Glaubens / nemlich Glauben an Christum treibet / daher wir denn auch Christen genennet werden. Sonst findet man in seinem Evangelio nicht viel Predigten von den 10. Geboten / sondern das ist seine grösste Arbeit / daß er den hohen Artikel von der Gerechtigkeit des Glaubens wohl pflanzen / und den Leuten einsäubern möge ; Denn wo der rein und unverfälscht bleibt / und feste besteht / so hats nicht noth / aber so

Z

ec



er liegt / so ist's umb uns all gethan / und sind denn nicht besser denn die Jüden / Heiden / Tartern und Türeken / ja wir sind so arg / als die Papisten. Und ist derhalben der Evangelist Johannes hochzupreisen daß er diesen Haupt-Artikel so fleißig treibet. To  
V. Altenb. f. 638. b.

§ 2. Gemina his habet alibi , ut Tom. V. Altenb. fol. 672. a. Der Artikel von der Rechtfertigung ist der höchste/ den S. Johannes als ein Meister insonderheit beschrieben hat. Man kan S. Joh darum nicht gnugsam loben/ daß er ihn so fleißig und klarlich gehandelt hat. Et fol. 677. a. Es ist S. Johannes mit seinem Evangelio dahin gericht/ daß den Artikel der Rechtfertigung der Welt ins Hau bilden / und für die Augen sezen will. Adde fol. 664. a. Diesen Artikel handelt Johannes der Evangelist surnemlich für den andern Evangelisten.

§ 3. Errant igitur , qui studium B. O. vita que sanctimoniam ceu τὸ πᾶν Christianismū inculcant; cum anima ejus fides justifica sit.

## XXVIII.

*Plurima , eaque insignia FIDEI SALVIFICA  
Synonyma apud Johannem in primis  
deprehendas.*

Prob.

I.

**I**ta simpliciter dicitur , credere in Deum , Joh XIV. i. quæ phrasis , credere in aliquem semper in N. T. de fide fiduciali & salvifica usur-



usurpat. Unde & locus Joh. II. 23. *Multi crediderunt in Nomen Ejus, de salutari fide, sed temporaria tantum, ob cuius defectum futurum Christus cum illis familiariter conversari noluit ; & Joh. XII. 42. Multi Principum crediderunt in Eum, sed propter Phariseos non confessi sunt, de imbecilli fide intelligendus est, notante B. Wilh. Lysero Disputatt. Exegett. in Johann. Disp. XIV. §. 6.*

2. Specialius objectum fidei designatur, ubi dicimur *credere in Nomen Filii DEI*, Joh. III. 18. I Joh. V. 13. Ut enim *Nomen DEI* significat id, quod Deus in verbo de essentia & voluntate sua patefecit ; sic *credere in Nomen Christi*, est, Christum fide ita intueri & amplecti, sicut Persona & Officium Ejus in promissione Evangelii nobis offertur. Unde hac phrasi totum veræ in Christum fidei mysterium συντόμως comprehenditur. Conf. Joh. XX. 31. & B. Gerhard. Disputatt. Theol. pag. 1330. seq.

3. Sic stylo Johanneo *Videre idem est, ac credere*; Joh. VI. 40. *Qui videt Filium, & credit in Eum, ubi unum per alterum explicatur.* c. VIII. 56. de Abrahamo, *vidente diem Christi*; ubi simplicissime, juxta B. Dorscheum, dicitur, Abrahamum vidisse Filii DEI diem in promissionibus, revelationibus, typis, in primis eminentissimo illo Isaaci, in monte visionis oblati. Pentadec. p. 375. & fusius in Theol. Zachar. P. II. pag. 285. seq. Adde loca, c. XII. 44. 45.



I Joh. III. 6. Ita præcedere debet notitia, per auditum verbi acquisita, quod est θεωρεῖν, antequam firma cordis fiducia Christus cum suo merito apprehendatur. Estque fides spiritualis & exactissimus quidam intuitus, quo cordis oculos in Christum unice dirigimus.

4. Cognatum huic est τὸ cognoscere, quo itidem fides salvifica innuitur, ut in loco illo classico, Joh. XVII. 3. *Hæc est vita æterna, si COGNOSCANT Te, solum verum Deum, & quem misisti, JESUM Christum.* Et i Joh. II. 3. *In hoc agnoscimus, quod COGNOVIMUS Eum, si precepta Ejus servemus.* c. IV. 7. *Omnis, qui diligit, ex DEO natus est, & COGNOSCIT DEum.* Intelligitur itaque viva DEI cognitio, ex qua fervidioris amoris affectus oriuntur, coll. Gal. V. 6.

5. Mandata DEI, aut, Verbum Christi servari, Johanni est, credere juxta B. Lutherum, Comm. posth. in i Joh. pag. 156. Sic Joh. VIII. si. XIV. 21. 23. XV. 20. XVII. 6. coll. v. s. i Joh. II. 3. 5. III. 22. 23. V. 2. 3. Breviter ac nervose phrasin explicat B. Bernh. Zieglerus, Theologus Lipsiensis, Luthero σύγχρονος, in pecul. Disp. super Joh. XIV. 23. habita anno 1549 ubi inter alia: “Servare sermonem non intelligatur νομινῶς, de integra Legis impletione, sicut intelligitur dictum illud Mosis: Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege &c. sed, servare sermonem,



nem, est, esse custodem doctrinæ fidelem, ut  
in Psalm. Beati immaculati in via &c. Est  
que sententia, omnes, qui audiunt, discunt,  
fide amplectuntur incorruptam Evangelii  
doctrinam, hi sunt membra veræ Ecclesiæ  
DEI, & cum habent vivam fidem & bonam  
conscientiam, sunt viva membra Ecclesiæ.“  
Ad eundem modum B. Casp. Finck. in Annotr.  
ad Dom. Judica, Postill. Eccles. Academ. “Descri-  
bitur, ait, hac phrasí serium studium retinen-  
dæ veræ doctrinæ, coll. Joh. VIII. 51. cum  
cap. V. 24. ut adeo fides sit auditio sermonis  
Christi in bono corde conservatio.“ Adde  
phrasin geminam, qua *sermo DEI* in illis ma-  
nere dicitur, qui istum cordi infixum reti-  
nent, Joh. V. 38. ubi τὸ μένειν idem est, quod  
χωρεῖν, c. Vlll. 37.

6. Similiter facere voluntatem *DEI*, i Joh. II.  
17. est voluntas Evangelica, ut credamus &  
in fide ambulemus, coll. Joh. VI. 39. 40. B. Seb.  
Schmid. ad l.c.

7. *Recipere Christum*, apud Johannem est a-  
etius fidei justificantis formalis, Joh. I. 12. ubi  
phrasis statim explicatur per *credere in Nomen*  
*Christi*, add. v. 5. & 11. Nota, duobus voca-  
bulis utitur, παρέλαβον & ελαβον. Et notum  
est, quod in communi lingua Græca verbum  
παραλαμβάνειν, Demosthene explicante signi-  
ficet, id, quod ab alio offertur & traditur, ad  
se recipere. Hanc vero proprietatem & hoc  
officium, in promissione scilicet Evangelii

Z 3 ap-



apprehendere & accipere Christum, & in Christo misericordiam DEI ad justitiam & salutem, Scriptura non operibus, non charitati, non aliis virtutibus, sed soli fidei, tribuit. B. Chemnit. in Exam. Concil. Trid. P. I. fol. m. 162 a. Conf. B. Hæpfner. in Diff. de Actibus fidei justif. pag. 9. Sic & Joh. XVII. 8. Verba, quæ dedisti mihi, ipsi ACCEPERUNT, ἐλαβο, tanquam charum depositum, & sermonem, omni acceptance dignum, 1 Tim. I.

8. *Ambulare in luce*, 1 Joh. I. 7. est, in Christum credere. Johannes ipse optimus verborum suorum interpres est. Postquam enim Joh. XII. 35. dictum: *Ambulate, dum lucem habetis, ut ne vos tenebrae comprehendant*; mox per iteratam, quæ Johanni consueta est, Exegesim, additur v. 36. 46. *Credite in lucem*. Quæ sententia ex vi contrariorum ulterius appetet, dum mentionem facit de *tenebris*, & *ambulatione in tenebris*, ubi tenebras intellectus potissimum indicari, iterum probatur ex stylo Joanneo, qui per *ambulare in tenebris*, incredulitatem intelligit, Joh. III. 19. XII. 35. 46. Ut ergo ad locum priorem redeamus, monstrat Apostolus viam, qua perveniri possit ad mysticam cum DEO Unionem, scilicet per *lucem fidei salvificæ*, quippe quæ contritionem, cœtenebrarum carnalium remotionem, supponit, de qua v. 6. 8. 9. Unde B. Calovius Bibl. Illustr. in h. l. f. 1592. ait: “*Qui ambulant in luce fidei salvificæ, Christum veram lucem*

ap-



apprehendentes per fidem, eos mundat fan-  
guis &c. quæ ipsa est *justificatio*.<sup>“</sup> Vid. con-  
tra recentiores *Fanaticos* B. D. Neumann. in  
Disput. de *Emundatione sanguinis Christi justifica*,  
p. 6. 7. 8.

9. *Habere in se Testimonium DEI*, fidei salvi-  
ficæ periphrasis est, 1 Joh. V. 10. Nimirum  
*Testimonium* apud Johannem sæpius doctri-  
nam Evangelii notat, cuius summa compre-  
henditur seq. v. 11. *Et hoc est illud Testimonium*,  
quod vitam æternam dedit nobis *DEUS*, *Et hæc vita in*  
*Filio Eius est*. Jam itaque habere DEI Testi-  
monium in seipso, est *primo*, illud in animum  
admittere, firmoque assensu recipere, sicut  
constat ex antithesi, v. 10. *qui non credit DEO*,  
*mendacem facit Eum*, eo quod aliud teneat in  
corde suo, quam quod Deus de Filio suo te-  
statur. *Secundo* notatur fiducia, qua quis ac-  
quiescat in merito Christi, tanquam sibi ob-  
lato ad justitiam: id quod confirmat sequens  
Apostoli assertio, v. 12. *Qui habet Filium*, sci-  
licet ita, ut in Eum credat, *habet vitam æternam*.  
Vid. B. *Hæpfnerum*, ex  $\sigma \nu \nu \alpha \Phi \epsilon \alpha$  Textus pluri-  
bus id monstrantem, Lib. de *Justificat.* p. 585. sq.  
Eodem quoque sensu fidelis dicitur accipere  
*Testimonium Christi*, Joh. III. 33.

10. Describitur fides per pastum animæ  
sive *manductionem* & *bibitionem spiritualem*; Joh.  
IV. 14. VI. 35. 51. sqq. ubi Christus turbas, pa-  
nem desiderantes, ad rerum cœlestium cu-  
piditatem revocans, occasione hujus meta-

phoræ utitur verbo edendi & bibendi , pro  
verbo credendi ; adeoque Christus hac me-  
taphora idem intelligit, quod antea simplici-  
ter dixit : *Qui credit in me, habet vitam æternam,*  
v. 47. conf. v. 40. Et valde commoda atque  
elegans hæc fidei delineatio est. Si quis  
enim cum fructu edere , & ad recreationem  
bibere velit, famæ & sitis antecedat, necesse  
est: Sic fides est spiritualis animæ ὄρεξις, sive  
*ardens desiderium* justitiæ & salutis in vulneri-  
bus Christi, Joh. VII. 37. Matth. V. 6. Sic  
vero non satis est, cibum aut potum deside-  
rare , sed ore quoque idem sumendus est;  
ita porro ad fidem salvificam requiritur ap-  
prehensio meriti Christi, in Verbo & Sacramentis  
oblati, quod Johannes vocat, Christum reci-  
pere, cap. I. 12. Cibus aut potus, ubi sumtus  
cum corpore humano unitur : similiter da-  
tur in fideli apprehensæ Christi justitiæ ap-  
propriatio , tenax adhesio , arctissimaque uni-  
onis, Phil. III. 9. Gal. II. 20. Denique, ut cibus  
sumtus palato dulcis est & appetitum sedat;  
ita sequitur cordis fidelis suavis & accepta  
quies in obedientia Christi , ut non timeat  
iram DEI &c. quæ est ipsissima fiducia. En-  
quatuor actus fidei justificantis, quatenus il-  
la justificat, à B. Hæpfnero alibi requisitos.

II. παρέντησις quoque egregium apud Jo-  
hannem fidei Synonymum est, i Joh. II. 23  
c. III. 21. IV. 17 V. 14. Notissimum est vo-  
cabulum, ait B. Chemnitius , significans , fine  
metu



metu & trepidatione libere & dicere, & agere, sicut de verbo παρέπονται multa extant exempla. Et dulcissima est accomodatio ad fidem justificantem, quæ conscientiae talem affert pacem cum DEO, ut non trepidet ad accusationem Legis, non terreatur indignitate propria, vel ignitis telis diabolii, nec fugiat Deum, sed quia certissimam habet fiduciam de charitate DEI erga se, libere accedit Deum &c. LL. Theol. P. II. f.m. 265. f. seq. a. conf. B. Seb. Schmid. Comm. in Ep. ad Hebr. p. 330. ubi, citato 1 Joh. V. 13. 14. inter alia : “*Παρέπονται* seu *confidentiloquentia* apud Deum, non est ipse actus confidenter loquendi, in judicio & in precibus ; sed est illud, in animo seu corde hominis habitans, quod facit hominem confidenter loqui in judicio & in precibus : quod certe est ipsissima cordis fiducia.”

12. Fides apud Johannem innuitur per *Tractum ad Patrem*, Joh. VI. 44. qui non fit irresistibiliter & per violentiam, sed ordinate. Atque notatur hac *Tractus* voce tum *impotentialia nostra naturalis*, veniendi ad Deum, tum *repugnantia originalis*, cum vocamur, ut tractione has repugnantia illa naturalis per gratiam DEI prævenientem cohibeatur, nosque ex natura repugnantibus non repugnantes efficiamur. Vid. B. Calov. Bibl. Illustr. N. T. ad h. l. f. 745.

13. Fides apud Iohannem cum *signaculo*  
**confertur**, Ioh. III. 33. Sicut Deus Pater di-  
 citur *obsignasse Filium suum*, i. e. *indubitatis si-*  
*gnis confirmatoriis demonstrasse*, ut Salva-  
 torem mundi, ex quibus ceu nota sigillari  
*agnoscetur*, Ioh. VI. 27. ita vicissim fidelis  
*obsignat*, quod Deus verax sit, i. e. per fidem, quasi  
 sigillum impressum, notitiam suam firmiter  
*obsignat*: Siquidem, de quibus certi sumus,  
 ea *obsignamus*, & in *obsignatis* facile acque-  
 scimus. Et hæc natura & ingenium fidei  
 salvificæ, ut, quando Deus per Spiritum san-  
 ctum fidem accendit, mentes hominum ab  
 una parte Spiritus S. verbo & sacramentis ob-  
 signat & confirmat, 2 Cor. I. 22. Eph. I. 13. ab  
 altera parte homo, propter internam Spi-  
 ritus S. per Verbum & Sacra menta *obsignatio-*  
*nem*, fide *obsignet*, Deum esse veracen, Ioh.  
 V. o. Uti phrasin egregie explicat B. Wilh.  
*Lyserus* in Disputt. Exeg. in Joh. Disp. III. § 55.  
 Confer de *obsignatione fidelium* B. Hæpfner.  
*de Justificat.* p. 598. sq. & 629.

14. *Ad Christum venire*, est, in Eum credere,  
 Joh. VI. 35. 44. & cap. V. 39. 40. Ubi & simul  
 principium innuitur, unde fides oriatur, ni-  
 mirum ex scrutinio Scripturarum. Venimus  
 fide ad JESUM, ait B. Brentius, Homil. in Joh.  
 f. m. 255. cum credimus Evangelio Eius,  
 quod ipse sit verus Messias, seu Christus, Filius  
 DEI, quod propter ipsum Deus nobis faveat,  
*remitat* nobis peccata, & adoptet nos in  
 filios



filios ac hæredes cœlestium suorum bonorum.

15. Similiter, *Christum sequi*, Johanni est, in Eum credere: c. VIII. 12. (coll. cap. XII. 46.) quem locum B. Osiander ita παραφράζει: "Qui sicutur me, h. e. qui crediderit meis verbis, & omnem suam in Me Redemptorem fiduciam collocaverit; is neque à via salutis aberrabit, neque in *tenebras* exteriores conjicietur: sed per fidem habebit secum tale *lumen*, quod eum perducet ad lucem & lætitiam cœlestem & æternam."

16. Nec minus apud Johanniem fides innuitur per *inunctionem in Christum*, Joh. XV. 4. 5. Fideles dicuntur *in Christo esse*, i Joh. II. 5. 6. cap. III. 24. c. V. 20. Sumus nempe in Filio, corpori Ejus mystico per fidem inserti, juxta B. Seb. Schmid. Dicuntur *habere Filium DEI*, i Joh. V. 12. 13. scilicet per fidem.

## XXIX.

*Stylus Joannaeus à reliquorum dicendi genere manifestis indicis distinguitur.*

*Ἐκθεσις.*

Sic B. Glassius septem characteres notat, quibus stylus Johannis dignosci ac dijudicari queat:

1. Quod sæpe adhibeat *exegetes eorum*, quæ obscurius dicta fuerunt.

2. Quod



XXXI.

*NEGATIVÆ Orationes apud Johannem sap  
non simpliciter negant, sed secundum quid,  
aut ex hypothesi & opinione eorum,  
cum quibus agitur.*

Prob.

I.

**J**oh. I. 21. ubi Iohannes Baptista negat, se E  
liam, vel Prophetam esse; scilicet talem au  
eo modo, quem volebant, & de quo quare  
bant Iudæi.

2. Ioh. IX. 3. *Neque hic peccavit, neque paren  
tes; non, quod ab omni peccato immunes  
fuerint; sed quod peccando præ aliis homi  
nibus hanc calamitatem non meruerint.*

3. Ioh. XI. 14. *Lazari morbus non est ad mor  
tem, coll. v. 14.*

4. Sic cap. XIV. 10. Christus ad Philippum  
*Annon credis, quod Ego in Patre, & Pater in Me fil  
Verba, quæ Ego loquor vobis, à Meipso, i. e. seorsim  
ac separatim à Patre, non loquor.*

5. Cap. XVI. 26. *Non dico vobis, Me rogati  
rum Patrem pro vobis, ait Christus ad discipulos.  
Et sensus est, se non solum, sed discipulos si  
mul oraturos esse. Male igitur & ἀλόγως  
ex Christi verbis inferunt Photiniani, Chri  
stum pro nobis vere & proprie non interce  
dere. Nec obstat, quod Christus addit, Pa  
trem amare nos: Patris enim amor & Christi  
inter-*



intercessio non sunt opposita. Vid. B. Gerhardi Explicat. Elenct. Evangel. Domin. p. 848. & B. Casp. Finck. Canon. Theolog. Cent. III. can. 39.

6. Similiter cap. XVII. 9, ait Servator: *Non pro mundo rogo, scilicet hoc tempore, nunc &c in hac oratione speciali, hoc modo ac fine. Orat enim pro suis fidelibus, ut in agnita veritate & concordia serventur, orat, ut Pater illos amet: quomodo vero sic oraret pro idololatris, pro rebellibus? ut breviter explicat B. Dannhauerus in Hodosoph. p. m. 721.* Distingendum itaque inter duplarem Christi Mediatoris intercessionem, una est *generalis*, quæ pro toto mundo fit, ut convertatur ad fidem: altera autem *specialis*, qua Christus pro solis vere credentibus orat, ut in fide conserventur. Et fundatur hæc distinctio in v. 20. 21. ubi mentem suam explanat Dominus, quod non tantum pro credentibus, sed & pro credituris oret. Adeoque Calviniani in hoc loco frustra pro suo Particularismo patrocinium querunt. conf. B. Eg. Hunn. Opp. To. I. f. 790. & B. Mentzer, Tom. I, Giessens. Disp. XV. § 178.

### XXXII.

*Joannem est, τὸ non POSSE, pro  
NOLLE usurpare.*

Prob.

#### I.

Sic, dicente Christo: *Non possum à meipso facere*



cere quicquam, Ioh. V. 30. sensus est: Nolo ex meipso facere quicquam. Immediate enim sequitur: Non quero voluntatem meam, sed voluntatem Ejus, qui misit Me, Patris.

2. Sic Christus ad Iudæos: Non potestis audiri sermonem meum, Ioh. VIII. 41. Recte B. Nifnius ad h. l. "Phrasis, & δύνασθαι, quam sa-  
pissime pro ratione materiae de iis dicitur,  
quorum animus est prorsus alienus à re fa-  
cienda, quam alioqui exequi potuissent, si  
voluissent. - - Sic h. l. & δύνασθε, idem est,  
ac non vultis (audire sermonem meum), po-  
setis equidem, dummodo spiritu meo vos  
duci pateremini."

3. Sic Ioh. XII. 39. Non poterant credere, qui  
rursus dixit Esaias &c. Scilicet Iudæi non po-  
tuerunt credere, non ex defectu gratiae, sed a  
mera malitia, qua restiterunt Spiritui sancto.  
Adeoque juxta Cyrillum, Lib. IX. in Joh. c. X.  
non potuerunt credere, idem est, quod  
noluerunt credere. Vide locum hunc ad-  
versus strophas Calvin. solide vindicantem B.  
Varenium in Breviario Theol. p. 177. sqq.

4. Sic i Ioh. III. 9. Non potest peccare, qui ei  
DEO natus est, i. e. aversatur peccatum, ne  
illud vult.

Tot nimirum loci difficiles ex uno idio-  
tismo Ioanneo, probe cognito, ad Analogiam  
fidei revocari possunt.



## XXXIII.

*Idiotismus Joannes est, rem magni momenti per affirmationem & contrarii remotionem asserere.*

Prob.

## I.

Sic cap. I. 3. Divinitatem λόγον ita adstruit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

2. Sic cap. I. 20. *Confessus est, & non negavit, & confessus est.* Ubi B. Chemnitius: "Repetitiones & antitheta usitata sunt huic Evangelista, & hoc loco non sunt otiosa. Significatur enim illa repetitione, 1) cum multos animos opinio illa occupasset, quasi Iohannes esset Messias, quod diligenter, serio, multis verbis & saepius opinionem illam removerit, 2) significatur libertas seu παρέγγειλα confessionis, quod non territus Legatorum autoritate & potentia. 3) significatur constanza. " &c.

3. Sic cap. III. 16. 17. 18. *Ut omnis, qui credit in Eum, non pereat, sed habeat vitam eternam, &c.*

4. Sic i Joh. I. 5. *Deus lux est, & tenebrae in Ipso non sunt ulla.* Adde ibid. v. 6. 8. 9. 10. cap. II. 10. 11. cap. III. 14. c. IV. 2. 3. & plura antitheseos exempla.

Ita, quod alii pro Tautologia venditant, nobis elegantia Scriptoris sacri est, & ad sermonis δεινωσίου merito refertur.

A 2

XXXIV.



## XXXIV.

Multæ admodum apud Johannem REPE-  
TITIONES ejusdem rei occurrunt.

Prob.

## I.

**I**ta Joh. I. 2. repetitur, quod jam v. i. dictum  
erat: *Hoc Verbum erat in PRINCIPIO apud  
Deum, indicio, illud εν αρχῃ addendum etiam  
reliquis clausulis.*

2. Ita quod Joh. III. 15. dicitur: *Ut omnis  
qui credit in Eum, non pereat, sed habeat vitam aet-  
ernam;* statim repetitur v. 16.

3. Ita aliquando, præsertim in conten-  
tione, sæpius eadem sententia paulum varia-  
tis verbis apud Johannem iteratur. Ut Joh.  
VI. Christus *septies* repetit, se vere esse panem  
vitæ, & unicum mundi Salvatorem.

4. Ita Christus in oratione sua προσεύχεται  
repetit *tribus vicibus* de sua & Patris unitate,  
itemque fidelium inter se, Joh. XVII. 21. 22. 23.

5. Sic i Joh. I. 8. *Si dixerimus, quod peccatum  
non habemus &c.* mutatis paulum verbis repe-  
titur v. 10. conf. c. II. 9. 10. &c.

Hoc stylo Johannis congruit, ait B. Luther-  
rus, ut bis ac ter, quod salutare est, repeatat, ut  
scilicet sincere credamus & diligamus  
Comment. posth. in i Joh. Epist. pag. 52. in  
Nimirum non odiosa est nec otiosa, aut taw-  
tologica hæc repetitio; sed γλυκὺ χῆμα,  
quod tum gravitati, tum perspicuitati ser-  
monis



monis inservit, juxta B. Sonntag. in Hecdec.  
pag. 37.

### XXXV.

*Johanni familiaris subjecti & predicati  
trajectio est.*

#### Prob.

I.

Joh. I. 1. *Et DEus erat illud Verbum, i. e. illud  
Verbum erat Deus. De isto enim subje-  
to & reliqua dicuntur.*

2. Joh. IV. 24. *Spiritus est DEus, i.e. DEus est  
Spiritus.*

3. Joh. XIV. 23. *Si quis diligit Me, sermonem  
meum servabit, ubi sensus: Quicunque sermo-  
nem meum servat, i. e. in Me credit, is dili-  
get Me. conf. v. 21.*

4. Cap. XIX. 35. *Et qui vidit, testimonium per-  
hibuit, i.e. & qui testimonium perhibuit, ille  
hoc vidit. conf. B. Glass. in Logica S. p. 9.*

Multum sane ad sensum Spiritus sancti  
assequendum facit, si *prædicatum inter & sub-  
iectum rite dignoscere noris.* Conf. B. Dann-  
bauer. Hermen. S. p. 57. & B. Stolberg. de Sol-  
ocism. p. 260.

### XXXVI.

*Johannes vocabulis abstractis pro concretis insi-  
gni cum emphasi crebro utitur.*

#### Prob.

I.

Ita Joh. III. 6, *carnem vocat hominem, qualis  
A a 2 est*



est ex prima nativitate per parentes, in corpore & anima, in omnibus potentiis & viribus peccato corruptus & depravatus.

2. Ita Christus *via, veritas & vita* in abstracto dicitur, Joh. XIV. 6. item *resurrectio & vita*, cap. XI. 25. Quæ abstracta prædicatio proprie de nudo homine in Scriptura nunquam adhibetur, nec adhiberi potest.

3. Ita verbum DEI dicitur *veritas*, i.e. *verissimum*, c. XVII. 17.

4. Ita Deus *Lux* dicitur abstractive, i. Joh. I. *Amor*, c. IV. 16.

### XXXVII.

*Enunciatio apud Johannem sèpius non FORMA LITER, sed CAUSALITER accipienda est.*

#### Prob.

##### I.

Sic Joh. III. 19. *Hoc est judicium, i.e. causa dicii, quod lux venit in mundum &c.*

2. Sic Joh. XI. 25. Christus ait: *Ego sum resurrectio & vita, i.e. causa utriusque.* *con*I* Joh. V. 20.*

3. Sic Joh. XII. 50. *Præceptum Ejus vita tua est, i.e. causa vitæ æternæ.*

4. Similiter in sensu causaliter sumendum Joh. XVII. 3. *Hæc est vita æterna, i.e. hoc producit vitam æternam, ut cognoscant Te &c. Sicut cimus: Præsentia solis est dies, non forma ter, sed causaliter.*



5. Et i Ioh. V. 4. *Hæc est victoria, que vicit mundum, fides nostra, i. e. medium, quo &c.*

### XXXVIII.

*Johanni ANTANACLASIS usitata est.*

Prob.

I.

Joh. I. 10. *Erat in mundo, & mundus per ipsum factus est, & mundus ipsum non cognovit. Ubi mundus priori loco totam rerum universitatem notat; posteriori vero homines infideles.*

2. Ioh. II. 23. 24. *Multi crediderunt in Nomen Ejus: Ipse autem Jesus seipsum iis non credebat. Dulcissima est mutua illa relatio, B. Chemnius ait, quam Evangelista hac phrasi describit: Nos fide credimus Deo salutem corporis & animæ; & Deus vicissim nobis se credit totum, cum omnibus suis cœlestibus bonis.*

3. Joh. IV. 31. 32. *Edere cibum primo proprio accipitur à discipulis; deinde metaphorice à Christo, pro, voluntatem Patris cœlestis promte exsequi. conf. ibidem v. 10. de aqua, in colloquia cum muliere Samariana.*

### XXXIX.

*Johannes crebro Mosaizat: &, cum ipse Prophetæ esset, Propheticis subinde Phrasibus utitur.*

A a 3

Prob.



## Prob. prius:

I.

**I**ta Johannes eadem voce Evangelium suum inchoat, qua Moses suam Genesin: *PRINCIPIO erat Verbum. Joh. I. 1.* Et, quemadmodum Moses per integrum caput testatur, omnia per τὸ Dicere seu *Verbum DEI* creata esse; Sic Johannes idem quoque affirmat, v. 3.

2. Ita apud Johannem comparatio datur inter Φωτισμὸν primae creationis, Gen. I. 2. 3. Φωτισμὸν Redemtionis, seu præconii Evangelii *LUX illa in TENEBRIS lucet, Joh. I. 5. 9.*

3. Ita visio scalae Jacobæa ad Christum, vel Antitypum, applicatur, c. I. 52.

4. Similiter typus serpentis aenei, in deserto erecti, de Christo explicatur, c. III. 14. 15. Manna, in deserto datum, itidem de Christi pane illo vitæ, cap. VI. 32. 33. diserte exprimitur. &c.

5. Ita Christus ἵλασμὸς dicitur i. Joh. II. non tam allusione ad operculum Arcæ, quod ad sacrificia propitiatoria: id quod sanguinis & καθαρισμὸς mentio in præced. commentat.

## Prob. posterius:

I. Ita more Prophetico, Esa. IX. 2. c. LX. 1. Mal. IV. 2. Christum ut *Lumen combat*, Joh. I. 9. cap. III. 19. c. VIII. 12. c. IX. c. XII. 46. item, ut *Pastorem*, Joh. X. 11.



coll. Ps. XXIII. i. Esa. XL. ii. Ezech XXXIV.  
ii. Mich. V. 4. cap. VII. 14. Ut Agnum, Joh.  
I. 29. & alias, coll. Esa. LIII. 7.

2. Ita Johannes Spiritum sanctum χρίσμα  
vocat, i Joh. II. 20. 27. quæ itidem ratio lo-  
quendi Prophetica est. Prophetæ enim,  
quo fervebant ἀλληγορίας studio, oleum san-  
ctum, itemque oleum lætitiae, appellabant illam  
gratiæ Spiritus sancti ubertatem, quæ & Re-  
gibus, & Prophetis, & Sacerdotibus recens  
initiatis impertiebatur, Esa. LXI. i. Am. VI. 6.  
Ps. XLV. 8. LXXXIX. 21. it. Ps. XXIII. 5. 6.  
conf. B. D. Neumann Program. p. 197. Quod  
vero apud Iohannem l. c. additur: *Unctionem*  
*habetis A SANCTO ILLO*, hac locutione ite-  
rum ad Mosen respicit. *Quemadmodum*  
enim è sanctuario & tentorio petebatur o-  
leum ad ungendos Sacerdotes & Reges, Ex.  
XXIX. & XXX. it. i Reg. I. 39. ; ita *Sanctus*  
*sanctorum*, qui cœleste sanctuarium ingressus  
est, nos sancti sui Spiritus & salutarium Ejus  
beneficiorum participes facit; observante  
B. Æg. Strauchio in Disp. de spirituali fidelium un-  
ctione, § 15.

3. Similiter dona Spiritus sancti cum Aqua  
conferuntur, Ioh. VII. 38. Apoc. VII. 17. XXI.  
6. XXII. i. quod Propheticum est, Esa. XLIV.  
3. Ioël. II. 27. 28. Zach. XII. 10. Conf. B. Dorsch.  
P. II. Theol. Zachar. p. 220. seq.

4. Ita Aphorismus Ioanneus est: *Sanguis*  
*ΙESU Christi, Filii DEI, emundat nos ab omni pecca-*

A a 4 to,



10, Ioh. I. 7. conf. Apoc. I. 5. c. VII. 14. ubiſ deles dicuntur *loti sanguine Christi*: quæ loquendi ratio itidem ex Prophetis desumta est, Esa. I. 16. fer. IV. 14. Zach. XIII. 1. Ps. LI. 4. conf. B. Schnepf. in Esa. fol. 27.

5. Sic loquitur *de extrema hora*, Ioh. II. 18. qua tempus N. T. indigitat, ex consuetudine Prophetarum, qui illud *extremitatem dicerunt* vocant, Esa. II. 2. Hos. III. 5. &c. Alias B. D. Fechtius in pecul. Disput. horam extremam apud Iohannem explicat de imminente πανολεθρίᾳ Reipublicæ Iudaicæ.

6. Sic *inscriptionis in librum vitæ meminit*, Apocal. III. 5. cap. XIII. 8. c. XXI. 27. quæ phrasis Prophetis consueta est, Esa. IV. 3. Dan. XII. 1. Quid plura! Integra sâne *Apocalypsis* Propheticis abundat phrasibus, ceu id fusius ostendit B. Cluverus in Prolegom. f. 17. 18.

In his adeo V. & N. T. harmoniam non solum quoad res, sed & ipsos loquendi modos luculenter deprehendas.

## XL.

*Nec minus Iohannes saepe chaldaizat, atque loquendi formulas ex Targumim desumit.*

Prob.

### I.

**Q**uius illud מִרְאֵה, quod in Targumim frequentissimum, Iohannes expressit ubi Filium DEI λόγον vocat, c. I. 1. 14. Ioh. I. v. 1. 2. Qui



2. Quia idem *schechinta*, celebratissimum, si quod aliud, in Targumim vocabulum, & maximorum mysteriorum symbolum, qua formale & materiale retinet, ubi σηκυρώσεως Christi meminit Joh. I. 14. Apoc. VII. 15. cap. XXI. 3. tum ratione visibilis Ejus in terra conversationis, tum ratione mysticæ in Ecclesia & cœtibus credentium inhabitationis. Confer de כְּכֹן Hebræorum, Zach. II. 10. & B. Varen. in *Esa.* P. I. p. 78. sqq. edit. recent.

3. Quia Joh. I. 5. *Tenebrae lucem non comprehendunt*, videtur obversatus fuisse Iohannis, sæpe chaldaissantis, animo Chaldæus lepos, qui Græce reddi non potest; Illis enim כְּכֹל cabhal est, καταλαμβάνειν, כְּכֹל cebhel vero εποίει, observante Alex. Moro Not. in Nov. Fœdus, p. 75. edit. Fabric. qui & p. 85. notat, Iohannem in voce παράκλητος chaldaissare. Occurrit enim apud Paraphrasten Chaldæum, à Græcis mutuo sumta.

4. Quia Joh. XII. 41. mentio fit *Gloria Jesu Christi*, quæ manifestata fuerit Esaiæ, cap. VI. Confer ibi Targum Jonathæ, & statim v. 1. occurret enim רִוי יְקָרָא seu Gloria Jehovæ.

5. Quia in Paraphrasibus Chaldaicis frequens sermo est *de morte secunda*, ut in benedictione Rubenis, Deut. XXXIII. tum ad Esa. XXII. 14. & alias. Inde phrasin mutuatur Iohannes, ubi *moris secunda expresse meminit*, Apoc. XX. 6. 14. c. XXI. 8. *Quomodo etiam* Joh. VIII. 51. explicandum est, quando Salva-

A a 3 tor



tor de homine credente dicit: *Non videbit mortem in eternum.* conf. cap. XI. 26. B. Varen. in Genes. p. 134. & in *Esa.* p. 74.

Ita phraseologiæ, in vetusta Judæorum schola usitatæ, in N. T. Scripturam translata sunt.

## XLI.

*Johannes Scriptor ANTI-PLATONICUS est.*

Prob.

## I.

**I**ta Platonici omnibus hominibus *lucem* tribuebant *insitam*: at Johannes uni Christo hanc gloriam venditat, Joh. I. 4.9. Conf. D. Deyling. P. II. *Observ. S.* p. 307.

2. Ita cap. I. 13. rejicit *Regenerationem Platonicam*, qua ex propria voluntate & factis illistribus hominem in Deorum numerum transferri posse, statuebatur.

3. Ita soli Christo *πλήρωμα* tribuit, cap. 14. 16. contra *Platonicos*. Sicut & Paulus idem monet, ut *caveamus nobis à Philosophia*: quoniam *in illo* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo*, *πλήρημα* *Deitatis corporaliter*. Col. II. 8. 9. Vid. hogregie monstratum à B. D. Neumanno in *Diff. de Ἀποθεώσει Fanaticorum*, § 14.

4. Unde per se patet, Johannem vocabulum *λόγος* non ex lacunis *Platonicorum*, sed a Scripturis V. T. desumisse. Vid. B. Stolzen Disp. de *λόγῳ Platonicō*, Tractatui ejus de *Sobaismis* N. T. subiunctam, p. 213. sq. Dn. Eckan-

Tc



Technicam S. p. 109. sq. & Pelargi Comment. in  
Joh. pag. 8.

XLII.

*Johannes quandoque silet nonnulla, quæ tamen  
dicta fuisse, postea fatetur ipse.*

Prob.

I.

Sic Joh. VI. 36. Christus ait: *Dixi vobis, quod  
vidistis Me, & non creditis. Sed ubi & quan-  
do id signate dixerit Servator, nusquam ex-  
pressum est.*

2. Sic Joh. XI. 28. ad Mariam inquit Mar-  
tha: *Magister adest, & vocat te; cum tamen de  
hac vocatione antea nulla fuerit mentio  
facta.*

3. Sic v. 40. Christus ait: *Nonne dixi tibi,  
quod si credideris, videbis Gloriam DEI, i.e. glorio-  
sam Lazari resuscitationem: sed tamen, ubi  
& quando dixerit Christus, non allegavit Io-  
hannes.*

XLIII.

*Sic & Iohannes in more habet, ut antecedentia  
& causas taceat, & consequentia saltatque  
effectus narret: aut vice versa.*

Prob.

I.

Sic Joh. I. 19. 20. Iudæi misisse dicuntur Le-  
gatos ad Iohannem Baptistam, ubi ex re-  
spon-



sponsione Baptistæ: *Non sum ego Christus, colligitur, Iudæos interrogasse eum: Tunc ei Messias?*

2. Sic Christus hisce verbis Nicodemo respondens introducitur: *Amen, Amen, dico tibi nisi quis renatus fuerit ex &c.* Ioh. III. 3. Quæ verba nihil faciunt ad præfationem, qua usus erat Nicodemus; sed sine dubio satisfaciunt quæstioni, ab ipso propositæ, de ratione consequendi salutem æternam, quæ cum in narratione suppressa fuerit, ex responso intelligenda est.

3. Sic Joh. XII. 14. Christus dicitur *INVENTISSE asellum, & super illum sedisse;* unde item colligas, quæsitum fuisse hoc anima uti id supplet Matthæus, cap. XXI. 2. Cont Joh. I. 43.

#### XLIV.

*Mos est sancto Iohanni, nomen suum reticere, & in tertia persona de seipso loqui.*

Prob.

#### I.

Joh. I. 37, ubi duo Baptistæ discipuli Christum secuti leguntur, qui ipsum pro Messia agnoverunt. Unus est *Andreas*, v. 40. Alterius vero nomen non exprimitur. Sunt, qui existiment, ait B. Chemnitius Harmon. Evang. cap. XXIII. fin. ipsum Johannem Evangelistam fuisse, qui nomen suum non solet exprimere. Et conjectura non levis est &c.

2 Joh.



2. Ioh. Xlll. 23. *Erat accumbens unus discipulo-  
rum Ejus in sinu JEsu, quem amabat JEsus.* Ad  
quem locum B. Wilh. Lyserus : “Evangelista  
Johannes hoc loco & alibi, magnifica quæ-  
dam de se scripturus, præ modestia sibi pro-  
pria, nomen suum conticet, certa quadam  
circumlocutione se designans. Conf. cap.  
XIX. 26. c. XX. 2. c. XXI. 20.”

3. Cap. XIX. 35. de aqua & sanguine, ex a-  
perto Christi latere fluente: *Et qui vidit, testa-  
tus est, & verum ejus est testimonium.* Ubi Johan-  
nes seipsum innuit, coll. v. 26.

4. Similiter cap. XXI. 24. *His est discipulus,  
qui testatur de his, & scripsit hæc &c.* Quo ipso  
Johannes historiam suam Evangelicam ob-  
signat.

Scilicet Johannes se ideo, testante *Cyrillo*,  
aperte nominare noluit, ut vanæ gloriæ exi-  
stimationem, ceu rem quandam minus san-  
ctam, & summum morbum, à se depelleret.  
conf. B. Casp. Sagittar. in Harmon. Histor. Pass.  
pag. 1084.

### XLV.

*Johannes formula illa: SICUT SCRIPTUM  
EST, sape utitur, quando ad plura simul V.T.  
oracula nos remittit.*

### Prob.

#### I.

*Joh. VI. 31. Patres nostri Manna comedederunt in  
deserto, SICUTI EST SCRIPTUM: Panem è  
celo*



*cælo dedit ipsis comedendum.* Ubi simul respici-  
tur ad Exod. XVI. 4. 14. Num. XI. 7. Psalm.  
LXXVIII. 24.

2. Ibidem v. 45. *EST SCRIPTUM IN PRO-  
PHETIS:* *Et erunt omnes docti à DEO.* Quod  
extat Esa. LIV. 13. Jer. XXXI. 34. Nota hic  
obiter contra *Fanaticos*: *Doctum esse à DEO*, neu-  
tiquam immediatam infert illuminationem.  
Nam & Thessalonicenses dicuntur *θεοδιδάκτοι*,  
1 Thess. IV. 9. & tamen erant instituti ab Apo-  
stolo per verbum prædicatum, Act. XVII. II.  
Rationem appellationis reddit Apostolus  
1 Thess. II. 13. quia scilicet sermonem præ-  
dicatum acceperint *ut DEI Verbum*. Est nem-  
pe phasis illa Prophetica, & uberiorem illu-  
minationem, sub statu N. T. futuram, indi-  
gitat. Quid multa? Christus ipse l. c. phra-  
sin interpretatur, quando ita pergit: *Omnis  
ergo, qui audivit à Patre, & didicit, scilicet Ver-  
bum, quod Ego loquor, v. 63. ille venit ad Me.*  
Itaque à DEO doctum esse, & Verbum DEI  
audire, apud Johannem *αντίσηροφα* sunt.

3. Joh. XII. 14. 15. *Sicut scriptum est: Noli ti-  
mere, filia Zion: Ecce Rex tuus venit &c.* Ubi  
prima particula, *Noli timere*, petita est ex Esa.  
XL. 9. cap. XLIV. 1. 2. Zeph. III. 16. quia ter-  
rores, in conscientia propter peccata & sen-  
sum iræ divinæ obortos, Evangelista piis Isra-  
ëlitis eximere voluit. Altera particula: *Ecce  
Rex tuus venit &c.* ex Zach. IX. 9. desumpta est.

4. Addo



4. Addo c. VII. 38. *Qui credit in Me, sicut dicitis Scriptura &c. Ubi ad universam V. T. Scripturam amandat Salvator, variis in locis monstrantem, qua fide Messias amplectendus sit, e. g. Esa. XXVIII. 16. Hab. II. 4. Conf. B. Gerhard. in Harmon. Evang. cap. CXLIV.*

## XLVI.

*DEUM DILIGERE, & MANDATA EJUS SERVARE, apud Johannem crebro conjunguntur.*

### Prob.

#### I.

*E*x Joh. XIV. 15. ubi Christus ad discipulos: *Si diligitis Me, præcepta mea servate. ib. v. 21. Qui habet præcepta mea, & servat illa, is est, qui diligit Me.*

2. Ex Joh. XV. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in amore meo; sicut Ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ipsius amore.*

3. Ex 1 Joh. V. 3. *Hæc est dilectio DEI, ut præcepta Ejus servemus. Conf. v. 2.*

Uſus hujus observationis per ſe patet. Namque mandata DEI servare, Johanni eſt, credere, ut ſupra jam dictum. Fides igitur cum beneficia DEI, in Christo nobis exhibita, cognoscit & amplectitur, non potest non sincera DEI dilectio inde oriri. Adeo fides & charitas induſſe inter ſe connexa ſunt. Conf. 1 Joh. IV. 19.

## XLVII.



XLVII.

*Johannes per DILECTIONEM DEI activam  
haud raro remissionem peccatorum & re-  
conciliationem nostram significat.*

Explicatio.

§ 1.

*E*st hæc Phil. Melanchthonis observatio in Ex-  
plicat. Evangel. P. II. pag. 883. quam hi-  
verbis edisserit: "Johannes passim in Evan-  
gelio & Epistola sua, *Diligere*, cum Deo tribui-  
tur erga nos, ponit pro, dare remissionem &  
reconciliationem.

§ 2. Huc jam referas loca ex Johanne, quae  
de dilectione DEI speciali agunt, qua solos credentes complectitur, ut: Joh. XIV. 23. *Qui in me monem meum servabit, i.e. in Me credet, eum Pater meus diligit*, tanquam per fidem sibi reconciliatum. Quæ ipsa justificatio est, ex qua fluuntio mystica, ubi Salvator addit: *Et ad eum veniemus, & mansio[n]em apud ipsum faciemus.* Similiter cap. XVI. 27. *Ipse Pater diligit vos: quia credidistis, quod Ego à Patre exiverim.* En! ex filio in Christum oritur dilectio DEI, dum non amplius ob peccatum irascitur, sed ex gratia illud remittit.

XLVIII.

*Phrases apud Johannem consuetæ, Esse evag-  
& an' ἀγρῆς, quoad sensum coincidunt;*  
*nec nisi ex substrata materia diver-  
sitas agnosci potest.*

Exp.



## Explicatio.

## § 1.

**E**quidem B. *Erasmus Schmidius*, Philologus celeberrimus, hoc discriminis dari vult, quod *ἐν ἀρχῇ* significet, *in principio*, in primo momento, quo quid esse cœpit, aut factum est, adeoque *eternitatem* inferat; sed *ἀπὸ ἀρχῆς temporis initium* notet, & continuationem a principio cuiuscunque rei, quam cohærentia Textus suppeditat. Vid. ad I Joh. I. 1.

§ 2. Verum distinctionem hanc minus firmam esse atque solidam, vel unico loco Ioh. II. 14. in contrarium ostendi potest, ubi hac ratione *eternitas* Patris à Johanne describitur: *Novistis Eum, qui est ἀπὸ ἀρχῆς, ab initio.*

§ 3. Unde B. *Calovii* placet *ἀρχή*, afferentis, non in nudis verbis, *ἐν ἀρχῇ*, & *ἀπὸ ἀρχῆς*, cum nonnullis diversitatem querendam, sed totam phrasin spectandam *ἐν ἀρχῇ*, & *ἀπὸ ἀρχῆς*, & apparere *ἰσοδυναμιαν*. Addit: "Firma est inductio ex usu Scripturæ: Ubique vox *ἀ principio*, vel *in principio*, absolute occurrit, nec in contextu aliqua additur restrictio, semper principium rerum omnium intelligendum est." *Bibl. Illustr. N. T. To. II.* fol. 1583. b. sq. a.

§ 4. Ita Joh. I. 1. *ἐν ἀρχῇ*. *IN PRINCIPIO erat Verbum*, simpliciter accipiendum, quod, cum res aliæ cœperunt, Filius DEI jam fuerit. Sicut Christus ipse illud *ἐναντίων*, *ἐν ἀρχῇ* explicat,

B b      ubi



ubi in oratione sua προσεγγωνίω : Et nunc glorifica Me, Tu Pater, apud Te ea gloria, quam habuit ANTEQUAM MUNDUS esset, apud Te. Joh. XVII. 5. Enī ante mundi ēvocū jam habuit suum ēvocū DEI Filius, suamque apud Patrem gloriam. Scriptura vero ante orbem conditum nil nisi meram æternitatem agnoscit. Nec dixeris cum hostibus Deitatis Christi. Eum hanc gloriam habuisse non auctu, prædestinatione. Christi enim verba dilucidunt, non de gloria promissa, decreta, prædestinata, sed de gloria, quam habuit mundum conditum. Hæc sane non denotat prædestinationem, sed veram atque actualē possessionem. Nusquam de Electis dicitur, quod gloriā habuerint apud Deum ante mundum conditum, licet regnum ipsis præparatis ante mundi constitutionem, Matth. XXV. conf. Eph. I. 2. & Tom. IV. Giess. Dispp. Di. XVII. § 16. sq.

§ 5. Similiter i Joh. I. 1. Quod erat ἀπό χῆς, simpliciter de principio creationis accipit. At Joh. VIII. 44. ubi Christus de diabolo quod fuerit homicida ἀπό ἀρχῆς, quivis integrat, initium non creationis, sed defectionis integrari. Conf. B. Seb. Schmidii Colleg. Bibl. p. 114. Sicut & i Joh. III. 11. hæc est prædicationis, quam audivistiς ἀπό ἀρχῆς, non mundi initium, sed, pro re substrata, initium prædicationis Evangelii sub N. T. innuitur.



## XLIX.

Vocis ἀληθεία frequens, idemque diversus in scriptis Johanneis usus est.

Prob.

I.

**I**ta notat Christum ipsum, Joh. XIV. 6. *Ego sum VERITAS*, promittendo, complendo. conf. cap. V. 33. ubi Johannes dicitur *testatus de Veritate*; scimus autem, Johannem de Christo, tanquam vero Messia, testimonium perhibuisse, cap. I. 7.

2. Significat doctrinam de Christo ad salutem per fidem, seu Evangelium, à Christo revelatum. Sic Joh. VIII. 32. *Cognoscetis liberatem, et veritas liberabit vos.* Filius DEI liberat principaliter, v. 36. doctrina de Christo instrumentaliter. Unde patet, Verbum DEI habere ingenitam virtutem supernaturalem ad producendum talen effectum. *Contra Fanaticos.* Ib. v. 40. Salvator ait: *Qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Patre.* Sic c. XVII. 17. *Sanctifica illos in Veritate Tua, Verbum Tuum est Veritas.* Et cap. XVIII. 37. ait Christus ad Pilatum: *Ad hoc veni in mundum, ut tester de Veritate*, quod est testimonium Evangelicum. Conf. 2 Ep. Joh. v. 1. 2. Hinc credentes, seu fide Verbum de Christo recipientes, dicuntur *esse ex Veritate*, Joh. XVIII. 37. 1 Joh. III. 19. Dicitur autem Verbum Dei Veritas, 1) respectu *causa efficiens*

B b 2

tis,

tis, DEI, qui est ipsa Veritas. 2) Ratione materiae, quia non nisi vera tradit. 3) Rat. effectui, quia, omni falsitate pulsa, veram lucem & sapientiam, Deum recte agnoscentem, veram justitiam & vitam aeternam credentibus impertit.

3. *Veritas apud Iohannem totum Christianum secundum veram fidem & vitam inferat.* Ita pii dicuntur *ambulare in Veritate*, 2 Epist. Ioh. v. 4. & 3 Ep. v. 3. Quam phrasin dextre explicat B. Sonntagius in *Hecdec.* p. 28. “Τὸ περὶ πατέρεων significat phrasi Scripturæ mores & studia, doctrinam & vitam hominis. Ecquid ergo mirum, etiam hic loci per τὸ περὶ πατέρεων αληθεία utrumque, cum sincere credere, tum *pīc vivere*, indicari? Hoc ipsum nostrati Evangelistæ est, facere veritatem, Ioh. III. 21.”

4. *Veritas opponitur hypocrisi*, atque officia Christiana sine omni fuko & mendacio notat; ut: 1 Joh. II. 4. *Qui dicit, cognovi ipsum, & præcepta Ejus non servat*, MENDAX est, & in illo VERITAS non est. conf. c. I. 8. Quæ ipsa hypocritæ falsique Christiani descriptio est, cum quo Apostolus per universam hanc Epistolam agit. Sic 2 Epist. v. 1. *Quos diligo in Veritate*, q. d. non hypocritico aut simulato, sed genuino & vero amore, sicut explicatur Ioh. III. 18. *Non diligamus sermone, neque lingua, sed opere & VERITATE.*

5. *Perfectionem status intendit*, ut: Joh. VIII. 44. ubi de diabolo dicitur, quod IN VERITA-



TE non steterit. Et veritatis vocabulo significatur integritas illa naturæ, in qua conditus Angelus ille cum suis, postea non servavit originem suam, ut scribitur Iudæv. 6. pro quo habetur בְּתוֹמָתָו *in integritate sua*, Iobi II. 3. Conf. B. Nisan, ad Ioh. VIII. p. 409. sq.

Nullus sane ex divinis Scriptoribus est, nō tante Hornejo, qui tantas delicias in voce faciat Veritatis, quantas S. Johannes.

L.

Sigillatim vero observes, quod, stylo Johanneo,  
Ἄληθεια τῇ σκιᾷ, seu UMBRIS V. T.  
crebro opponatur.

Prob.

I.

Ita Christus Lux illa vera dicitur, Ioh. I. 9. quæ in V. T. aureo candelabro repræsentabatur. Et de prædicato Evangelio asserit Iohannes: *Tenebrae præterierunt, & LUMEN ILLUD VERUM* jam lucet; q. d. Nunc in N. T. exortus est, evanescentibus umbris illis & sacrificiorum typis, ipsem Christus, tanquam sol justitiae, & Lux universi mundi. Ioh. II. 8.

2. Ita Lex per Mosen data, gratia & VERITAS per JESUM Christum facta dicitur, Ioh. I. 17. Ubi non innuitur, quasi Lex Mosaica nullam gratiam nullamque veritatem complexa fuisset, cum revera in ipsa vita æterna fuerit, & testimonium salvificum de Christo, Ioh. V. 39.

B b 3

Unde



Unde liberandi à periculo damnationis, & præservandi ab infernalibus flammis ad Mōsen ablegantur, Luc. XVI. 29. & 31. sed hoc potius, quod *gratia & veritas*, seu vera gratia etiam quæ in Legis Mosaicæ umbris continetur, suam à Christo habeat originem, tanquam à fonte omnis gratiæ; partim in eodem per incarnationem cœteraque mysteria suum habeat complementum, & facta si quasi σωματικὴ, cum antea sub σκιᾳ fuerit quasi κεκρυμμένη, Col. II. 17. uti hoc egregie declarat B. Dörsch. Comm. posth. in Ep. ad Hebr. pag. 358. Conf. Dn. D. Deyling. P. III. Observat. Sacr. p. 247.

3. Ita precibus, ad normam Legum ceremonialium compositis, opponitur προσκυνησις ἐν αληθείᾳ, Joh. IV. 23. Theorema Christi est: Non esse alligatum in N.T. adorationem ad locum certum, secus quam erat in V.T. in quo non poterat extra locum sanctum sacrificari. Vid. B. Wilb. Lysen. Disputt. Exeg. in Joh. ad h. I. § 55.

4. Ita Christus ipse in oppositione ad ~~Nomina~~ vocat se *Panem illum VERUM*, Joh. VI. 32. coll. v. 35. Ostendens hoc ipso, panem illum à Patre exhibitum humano generi, homine ad immortalitatem alere, quod alter panis in deserto, Majoribus exhibitus, præstare non potuit.

5. Similiter vocat se *Vitem illam VERAM* Joh. XV. 1. Ubi *verum* rursus opponitur

s, & pio, & respicitur ad vitem & botrum, è terra Canaan per exploratores excisam, Num. XXIII. 13.

6. Quemadmodum & Apostolus Paulus loquitur *de gratia DEI in VERITATE*, quæ est gratia N. T. opposita χάριτι V. T. quæ sistebatur in umbris & sub ritibus Leviticis, Col. I. 6 Idemque cœlum appellat verum Tabernaculum, in oppositione ad Tabernaculum umbratile V. T. Hebr. VIII. 2. Conf. c. IX. 24.

O! itaque nos felices, qui per Christum τὸν ἀληθινὸν accepimus.

## LI.

*Joanneum est, Evangelium vocare  
Præceptum.*

### Prob.

#### I.

Joh. XII. 49. *Pater mihi PRÆCEPTUM dedit, quid dicam, & quid loquar, ubi Exegesis additur v. 50. Et novi, quod PRÆCEPTUM Ejus vita eterna sit. Unde apparent, doctrinam Evangelii innui.*

2. Joh. XIV. 24. *Qui habet PRÆCEPTA mea, & servat illa, is est, qui diligit Me. Ubi sermonem esse de Evangelio, patet ex v. 23. Ex illo enim, & non per Legem, unio Mystica oritur.*

3. I Joh. II. 7. *Non PRÆCEPTUM novum scribo vobis, sed PRÆCEPTUM vetus, quod habuistis*



*ab initio.* Audiverunt autem ab initio promissionem de vita æterna, i. e. Evangelium,  
V. 24. 25.

4. I Joh. III. 23. *Hoc est PRÆCEPTUM Ejus,*  
*ut credamus Nomiini Filii Ejus, J. C.* Confer &  
supra de Phrasí, servare Præceptum.

Nimirum phrasin Prophetarum retine  
Propheta N. T. quippe quibus familiare era  
Evangelium appellare תורתה.

## LII.

*Johannes NOVUM appellare solet, quod ejus*  
*præstans & eximium.*

### Prob.

#### I.

**I**ta Præceptum de *Dilectione NOVUM* dicitur  
Joh. XIII. 34. I Joh. II. 8. quo excellentia  
præcepti hujus innuitur, coll. I Cor. XIII. 1. sqq.  
Vid. pluribus de hac appellatione B. Aeg. Hum.  
Opp. Tom. IV. fol. 215. b. 966. a.

2. Ita doctrina Evangelica de Redemtione  
per sanguinem Christi, quæ inter cœlites  
velut *novum Canticum* personare dicitur, Apoc.  
V. 9. XIV. 3. minime omnium nova est, sed in  
militante Ecclesia audita; interim ob excellen-  
tiam suam merito nova & singularis ap-  
pellatur.

3. Ita, quando *omnia Nova* fidelibus promi-  
tuntur in vita æterna, Apoc. XXI. 5. sensus  
itidem est, omnia tunc summam perfectio-  
nem & excellentiam suam esse habitura.

Sci-



Scilicet est hic loquendi mos Hebraicus, sicut Psaltes saepius illud intimat: *Cantate Dominum CANTICUM NOVUM*, i.e. eximium, insigne, & prae ceteris excellens. Ps. XXXIII. 3. XCVI. 1. XCVIII. 1. CXLIX. 1.

### LIII.

*Johannes HORAS diei nostro more computare videtur.*

Prob.

I.

Joh. I. 40. *Duo discipuli illi manserunt apud Iesum, die illo: HORA autem erat circiter DECI-MA.* Ad quem locum B. D. Gränenbergius in Observatt. MSS. ad IV. Evang. notat: “ De nostra hora decima id accipio, non de hora pomeridiana quarta. Sicut & totam, per horas computandi rationem Johannis Evangelistæ, cum nostra ordinaria conferendam esse existimo: qua de re alibi sumus dicturi. ”

2. Joh. IV. 6. de tempore sessionis Christi ad fontem: *HORA erat fere SEXTA.* “ Quod etiamsi in meridiem è Judæorum computo facile cadit; tamen ex computo horarum nobis sueto, æque commode in vesperam fertur, sic ut ex totius diei itinere Christus tanto magis κεκοπιακῶς concipiatur. ” Idem in MS. ad h. l.

3. Joh. IV. 52. *Heri, HORA SEPTIMA, reliquit ipsum febris.* “ Nota hic, distantiam Canæ

B b 5 à Ca-



à Capernaum commode mensurari tota longitudo maris Galilæi, atque ita circiter VIII. Leucas, quarum singulæ tria Anglicana miliaria habent, occupare. Quod si igitur præcedentis diei hora septima, juxta *Hebræorum* computum, in horam nostram primam pomeridianam cadat, utraque pars singulatim debuit saltem XII. & plures fortasse in spatiū octo Leucarum horas consumsisse, priusquam sibi occurrerent: quod nec in Patrem cadit, filii cupidissimum, nec in servos, ad Dominum festinantes. Unde horam nostram septimam vespertinam fuisse, existimo. " Iterum B. D. *Grünenberg.* ad l. c. qui & addit: " Atque ita, ut mihi videtur, solet Johannes loqui, ducto à meridie & media nocte horarum computo, idque cum Archivis Gracis & cum Romanis. Vid. *Brunsmanni Exodium & Exodium diei,* L. I. cap. 14. *Augustini Lib. III. de Consensu Evang.* c. III.

4. Similiter Joh. XIX. 14. de tempore condemnationis Christi ad crucem: *Erat HORAE fere SEXTA.* " Non dubito, adhuc B. *Grünenbergii* verba sunt, horam sextam esse matutinam nostram sextam, ultimam quartæ vigiliæ nocturnæ. Idque hoc loco violenter etiam exigit conciliatio cum Marc. XV. 25. instituenda, cui, quicquid dicatur aliud, satisfacere non potest. " Conf. B. *Nisan.* ad h. & Clar. G. E. *Edzardus* ad c. l. *Berachoth.* p. 256.



## LIV.

HORÆ mentio apud Johannem crebro occurrit,  
qua tempus opportunum aut præfinitum  
denotatur.

## Prob.

## I.

Ex Ioh. II. 4. ubi Christus ad matrem: Non-dum venit HORA MEA, & tempus intelligitur opportunum ad edenda miracula.

2. Sic Joh. VII. 30. c. VIII. 20. c. XII. 23. 27. cap. XIII. 1. cap. XVII. 1. per Horam innuitur tempus, à Deo ab æterno prædefinitum & determinatum passioni & morti Christi, quod proinde nec accelerari, nec tardari poterat. Accipiamus duplēm horam Christi in hac terra: Altera est hora vivendi, & prædicandi Evangelii sui, Joh. XI. 8. 9. altera est hora crucifi-gendi & moriendi, observante B Brentio, Homil. in Job. f.m. 327. Cur autem Christus tempus passionis suæ per horam indigitare voluerit, hæc ratio est, quod horæ nomine expressius illa DEI singularissima providentia desiguntur, quæ circa redēptionis nostræ negotium occupata est, & non tantum omnes menses, hebdomadas & dies, sed etiam singulas horas horarumque momenta ab æterno disposuit, quibus unumquodque Christo, Salvatori nostro, pro communi totius humani generis salute vel agendum, vel patiendum esset.

osset. Idque est, quod mirifice nos in fide & patientia confirmat, quod sciamus, horas nativitatis non solum & vitæ nostræ, sed passionum etiam & tentationum, ipsius etiam mortis, à Deo ab æterno prædefinitas esse. Utegregie monet B. Steph. Clotzius Tract. de Crucifixibus Animæ J. C. p. 99. 100.

3. Sic Joh. IV. 21. 23. *Venit hora, ubi neque in monte hoc &c.* Cap. V. 25. de hora, qua spiritualliter mortui per vocem Evangelii excitantur, v. 28. de tempore universalis resurrectionis. Cap. XVI. 2. 4. de tempore à Deo constituto, quo inquis persecutionibus premendi Christi discipuli. Conf. v. 16. ubi Christus ait de muliere parturiente: *Venit hora ejus.* adde v. 25.

4. Sic de tempore iudicij divini præfinito. Apoc. XIV. 7. 15.

## LV.

*MUNDI vocabulum, apud Johannem frequenter obvium, nunquam solos Electos significat.*

## Prob.

### I.

Joh. III. 16. *Ita dilexit Deus MUNDUM &c.* Ubi fallit & fallitur Pasor in Lexico Græco, homines electos per *κόσμον* h. l. significari, afferens. Ostendit contrarium (1) absurd analysis, quæ oritur, si pro mundo Electos ponas. (2) manifesta divisio mundi in credentes & incredulos, salvandos & perituros. Conf. B.

Dorsch.



Dorsch. in Pentadec. pag. 384. & B. Walther, in Harmon. Bibl. p.m. 956. sq.

2. Sic locum, Joh. VI. 33. *Panis DEI descendit de cælo, & vitam dat MUNDO*, frustra allegant Calviniani in causæ suæ patrocinium. Verba *activa* non semper notant actum, sed sæpe studium, conatum, officium. Ita h. l. *dare vitam* non intelligendum est effective, sed de conatu, studio & προαρέσει Christi. Est hic sermo de datione porrectionis, non autem homines statim accipiunt, explicante B. Dorscheo in IV. Evang. pag. 597. ad Luc. I. 16. Sensus est: Christus est panis ille, *dans*, i.e. eo proposito ac voluntate in mundum venit, ut daret vitam. conf. 1 Joh. IV. 9. Distinguendum igitur inter vitæ spiritualis & æternæ acquisitionem atque applicationem. Sicut eadem ratione 2 Cor. V. 19. dicitur: *DEus erat in Christo, MUNDUM sibi reconcilians*, notante B. Rappolto, Opp. Tom. I. p. 510. De quo ultimo loco vid. fuis B. Feurborn. Opp. p. 1196. sqq.

3. Similiter nec Joh. XVII. 21. nomen *Mundi* pro solis Electis usurpatum, quando Christus ait: *Ut credat MUNDUS, quod Tu Me miseris*. Neque enim verisimile est, Christum *mundi* vocabulo in alia significatione hic uti voluisse, ac in toto hoc valedictorio sermone usus est. Jam vero ubique eo denotat vel *in specie* reprobos & incredulos, Evangelium repudiantes; vel *in genere* totum genus humandum; nusquam vero per illud solos Electos designat.



designat. Quid? quod Christus paulo post mundum à vere credentibus, & vice versa, differtis verbis separat: *Pater juste, MUNDUS non cognovit &c.* v. 25. Vid. fusiū B. Gerhard in Harmon. Evang. ad h. l.

4. Hinc non restringendum vocabulum, ubi Christus dicitur *AGNUS DEI*, tollens peccata MUNDI. Joh. I. 29. Nota: *Agni typici* in officio expiationis Evangelico non extenduntur latius, quam *verus agnus*, antitypus. At etiam pro iis, qui non facti sunt salvi, *agni typici* in V. T. offerebantur à Sacerdotibus. E. & *agni antitypus* non pro illis tantum, qui salvi futuri sunt, immolatus est. Utī solide colligit Dorscheus in Pentadec. p. 384.

5. Neque adeo universalitas meriti Ghilli coarctanda, ubi *Salvator MUNDI* appellatur, Ioh. IV. 42. Ioh. IV. 14. non sane solorum lectorum, sed *mundi* illius, qui *totus in malitia jacet*. Ioh. V. 19. Sicut & Johannes Christum ideo diserte appellat *Ιλασμὸν προ τοῦ MUNDI peccatis*, I Ep. II. 2. Nota: Si Christus pro solis Electis mortuus esset, ne quidem *Semi-Redemptor* humani generis foret.

## LVI.

*Character Ioanneus est, τὸ Αὐτὸν semper gminandi, quod cæteri Evangelista tan- tum semel adhibent.*

Ex. Gen.



Ἐκθεσις.

## § I.

**Q**uærunt Interpretes, utrum particula *Amen* vim juramenti obtineat? Quo de confer Paulum Tarnovium, Comment. in Johann. p. 174. seq. qui Fullerum in compendium misit, Nicolai de Juramentis p. 113. Pfeifferum in Append. Dub. vexat. p. 946. seq. itemque alios.

§ 2. Rem egregie explanat B. Christian. Noldius, h. v. "Nihil obstat, quo minus vox *Amen* sit formula iurisjurandi, cum Deus per hoc jurat ipse, Ebr. VI. 14. seu cum Christus, qui totus ὁληθεα & ἀμὴν, aliquid per hoc, i. e. per seipsum, asserit. Unde Hieronymus: In V. T. juramentum DEI fuit: Vivo Ego, dicit Dominus; In Novo autem, Amen, Amen, dico vobis - - Quare ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, idem est, quod, εἶπο ὁ ἀμὴν λέγω ὑμῖν, vel, quam Ego sum veritas, tam nunc vera dico vobis. Et si id jam tunc non est juramentum, (est vero ad minimum Ebr. VI. 13. 14.) cur id Christo convenit sic ἀκοινωνήτως, ut Sancti eo nunquam usi sint? Nam utuntur quidem Sancti voce *Amen*; sed non: *Amen, Amen,* dico vobis &c. In Concordant. Partic. Hebr. pag. 844. Conf. Lud. de Dieu Comm. in IV. Evang. super c. V. Matth.

§ 3. Similiter B. Feurbornius notat, Patres Ecclesiasticos, & nostrates Theologos, quando hic juramentum Christi agnoscunt, non loqui de solis apicibus vocis *Amen*, sed attenderere



dere cum totam Christi phrasin: *Amen, Amen, dico vobis, tum ejusdem scopum, & peculia ria simul textuum viscera.* Hic enim ne ri nequit, non esse simplicem & nudam verita tis enunciationem, aut assertionem, quia illa est etiam in hac Christi phrasí: *Dico vobis, Matth. V. 20. 21.* sed religiosam veritatis cœlestis asseverationem, contestationem & confirmationem. Non frustra enim Christus sic emphatice locutus est, nec inaniter sic duplicavit τὸ *Amen*, sed ad maiorem fidei nostræ corroborationem inter posuit suam divinam veritatem; ipse enim est & dicitur *Amen*, Apoc. III. 14. Vid. Opp. Theol. p. 1707. seq.

§ 4. De cœtero notandum in primis, quo Filius DEI, præcipuos fidei Articulos, & ma xima regni DEI mysteria asserturus, dupli hoc *Amen* uti soleat. Ut: Summum illud mysterium de SS. Trinitate, Ioh. III. 11. de sua Divinitate, Ioh. VIII. 58. de certa precum in N omine Christi exauditione, cap. XVI. 23. de vita æterna, fidelibus expectanda, c. V. 24. c. VIII. 51.

## LVII.

*Frequens Johanni usus est particulae ἀληθίας in conclusionibus & assertionibus.*

Prob.

I.

**S**ic JESUS de Nathanaële: *Ecce, ἀληθῶς VERITAS Israëlite, in quo dolus non est.* Ioh. I. 48.

2. Sic



2. Sic Samaritani de JESU: Novimus, quod  
hic sit αληθῶς VERE Servator mundi, Christus,  
Joh. IV. 42. conf. c. VI. 14. VII. 26. 40.

3. Ita Joh. VI. 55. Caro mea αληθῶς VERE  
est cibus, & sanguis meus VERE est potus. Adde  
c. VIII. 31. XVII. 8.

4. Ita i. Joh. II. 5. qui servaverit sermonem E-  
jus, αληθῶς VERE in hoc dilectio DEI perfecta est.

Monstrat Canon, quod ad salutem neu-  
tiquam sufficiat scientia Pontificiorum con-  
jecturalis. B. Seb. Schmid. in i. Epist. Joh.  
p. 136

## LVIII..

Particula ἵνα apud Johannem, non tam αἵτιο-  
λογικῶς, aut τελικῶς; sed vel ἐκβασικῶς,  
vel εἰδικῶς sumitur.

Prob. Prius.

### I.

Joh V. 20. Pater majora his opera demonstrabit  
Filio, ἵνα UT vos miremini. Quæ non erat pro-  
prie illius demonstrationis causa, sed con-  
sequens, quia admiratio ex illa oriri pot-  
erat.

2. Joh. IX. 2. Quis peccavit, hic, an parentes  
ejus, ἵνα UT cœcus nasceretur? Ubi apertissime  
ἐκβασις intelligitur, non causa finalis. conf.  
v. 3.

3. Joh. IX. 39. In judicium Ego in hunc mun-  
dum veni, ἵνα UT, qui non vident, videant, ΕΓ  
qui vident, cœci fiant. ἐκβασικῶς, non αἱτιολογικῶς

C c expo-



exponendum est, de accidentario duntaxat eventu adventus Christi, vera enim causa finalis proxime antecedit: *Ut, qui non vident, videant.*

4. Joh. XII. 38 *Ut sermo Esiae Prophetæ impleretur, &c.* Particula *īva* iterum est *ἐνθατική*. Nempe Prophetia nequaquam hic constituitur incredulitatis causa; sed notatur exacta Prophetiæ & eventus convenientia, quod non crediderunt, quia excœcati fuerunt, prouti de iisdem Prophetæ vaticinatus erat. *Contra Calvinianos.*

5. 1. Joh. II. 19. *Exierunt à nobis, īva Ut manifestentur, quod non sunt omnes ex nobis,* sensu: *Quia illi exierunt à nobis per apostasiam inde factum, ut manifestaretur &c.*

### Prob. Posterius.

#### I.

**I**n hoc glorificatus est Pater meus, *īva Ut fructum multum feratis, Joh. XV. 8.* Ubi particula *īva εἰδικῶς* accipienda, ita ut explicativa sit, & idem significet, quod *εἰ*, hoc sensu: *Cum multum fructum tuleritis.*

2. *Ibidem v. 15. Majorem hac dilectionem immo habet, īva UT animam suam ponat quis promicis suis,* h. e. tantam dilectionem, quam ponat &c. *Conf. c. XVI. 7. 32. XVII. 20.*

3. 1. Joh. IV. 17. *In hoc consummata est quoad notitiam sui charitas DEi nobiscum,* h. e. in nobis perfecto signo & documento demonstratur.



tur, ἵνα παρηγοῖσαν ἔχωμεν, CUM fiduciam habemus in die judicii. Ubi particula ἵνα non significat finem & effectum charitatis DEI, qua nos DEum diligimus, quasi ea sit causa fiduciæ, in judicio DEI habendæ; sed significationem, vel documentum dilectionis. Breviter: Caritas DEI in nobis perfecta, i.e. sincera & seria, non est causa fiduciæ in judicio DEI, hæc enim oritur ex fide in Christum; sed est causa infallibiter cognoscendi fiduciam. Non probatur perfecta charitas, ait Augustinus, nisi cœperit dies ille desiderari. Vid. B. Höpfner: de Justificat p. 686. seq. id contra Pontificios ostendentem.

4. 3. Ep. v. 4 Majus gaudium non habeo,  
ἵνα CUM audio, filios meos in veritate ambulare.  
Hinc & Flavius P. II. Clavis observat: Peccare est huic Apostolo, usurpare ἵνα pro ὅτι.  
UT pro QUANDO.

---

#### Sectio IV.

### Canonum HARMONICORUM DUODECADA complectens.

#### I.

Omnis Evangelistæ justum temporis ordinem in Historia Evangelica observant, nec transpositio rerum temere fingenda est.

Prob.

Cc 2

§ 1.

